
-6-C-2

DE ECCLESIASTICA IMMVNITATE DISPVTATIONES SEX.

QVIBVS ADVERSVS HVIVS *temporis Nouatores Clericorum Exemptio à Poteſtate ciuili ex Iure Diuino, Pontificio, & Cæſareo, necnon ex Sanctis Patribus, & Rationibus demonſtratur.*

F. AVGVSTINI VIGIANII FLORENTINI

ORDINIS SERVORVM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIAE,

Apud Ioannem Baptiſtam Bellagambam. 1607.

SVPERIORVM PERMISSV.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Pſalm. 37.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. DOMINO D. HIERONYMO BERNERIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS. EPISCOPO ALBANENSI,

RELIGIONIS SERVORVM B. M. V. Protectori Vigilantiſſimo, ac Munificentiſſ.

Frater Auguſtinus Vigianius eiuſdem Inſtituti Alumnus Perpetuam Fœlicit. exoptat.

DVO ſunt, Cardinalis ampliſſime, quibus principaliter hic Mundus regitur; authoritas, ſcilicet, Sacerdotum, & Regalis poteſtas. Fecit enim Deus duo luminaria magna in Firmamento Cœli, cum in vniuerſali Eccleſia has præſtantiſſimas dignitates inſtituit, ſed vnum altero maius: quia licet ſacerdotalis, ac Regia dignitas longe omnes multùmque ſuperent; illa tamen eò præſtantior eſt, quò terrenis cœleſtia, ſempiterna caducis, & humanis diuina excellunt. Alij (Chryſoſtomus inquit) ſunt termini Regni, alij termini Sacerdotij; hoc illo maius eſt; Regi, quæ hîc ſunt, commiſſa ſunt; mihi cœleſtia. Fecit itaque

Gelaſ. 1. ad Anaſ. Dec. ep. 10. 1. ep. 10. [illegible] 2. q. 7 cap. Nos ſi incõpetẽter neg ſic. ſed notandum.
Di ſt 96 ca. Duo ſunt.
Gen. 1. Innocẽt. 3. de maiorit. & ob. et 33 c. Soliti beni gnitatis.
De uerbis Iſaiæ Homil. 4.

que

quē Deus duo Luminaria magna, Luminare maius, vt præeſſet diei, & Luminare minus, vt præeſſet noctì. Authoritas ſacerdotalis nitidiſſimi Solis inſtar ad res diuinas, quæ sereni diei imaginem præſeferunt, præcipuè ordinatur: Regia quaſi Luna ad temporales; quæ quidem non ſecus ac nox obſcura, & luctuoſa, ærumnarum, mœroris, & ſolicitudinis plenæ ſunt: Luna Solis lumine illuſtratur, Regia poteſtas à ſacerdotali regitur; debet enim Rex ità adminiſtrare terreſtria, vt diuino cultui tamquam ancillulæ, & pediſſequæ adiungantur.

M. Tullius de ſomn. Scipion.

Sol, dux, princeps, & moderator nedum ſyderis, quod vltimum Cælo, citimum Terris, luce lucet aliena, ſed

Idē de Nat. Deorum.

reliquorum regionis ætheræ luminum, cum exortus eſt, cæteris obſcuratis, ſolus apparet. Sacerdotali maieſtate fulgente, adeò regia extenuatur, vt, ſi vtramque inuicem compares, quaſi auro plumbum conferre videaris.

Ope. to. 4. De Dignit. Sacerd. c. 2

Egregiè D. Ambroſius: Honor, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: ſi Regum fulgori compares, & Principum diademati,

Diſt. 96. c. Duo ſunt.

longe erit inferius, quàm, ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cum videas Regum colla, & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant ſe communiri. Quæ cum ità ſint; mirum profectò eſt homines eſſe hac tempeſtate mundanæ dignitatis gloria ità inflatos; vt ea, quæ pontificij iuris ſunt, parùm prudentes ſibi vendicare non dubitent: quaſi laica poteſtati eccleſiaſtica authoritas, ſacra profanis, Deus ipſe hominibus

ſit conceſſurus. Quos Gregorius ille, qui cognomento Theologus eſt appellatus, dum in ciues Nazianzenos, & Magiſtratum inuehitur, his verbis coarguit Numquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur, diuinis præferantur humana? Et Nicolaus Primus ad Michaelem Imperatorem, Imperium veſtrum (inquit) ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debet eſſe contentum, non vſurpare quæ Sacerdotibus Domini ſolùm conueniunt: & tamen ipſi (quod grauius eſt) habent non modò approbatores actionum ſuarum, ſed ſuaſores, & impulſores, (qui ſacrarum legum interpretationem plus æquo ſibi tribuunt) Theologos quidem nomine, ſed verè pſeudotheologos, libertatis Eccleſiæ oppugnatores, corruptores bonorum morum, & veritatis oſores. Quorum temeritatem, licet ſacra pagina, ac vtriuſque iuris doctiſſimi profeſſores vberioribus ſcriptis peropportunè retuderint: Ego tamen Amicorum rogatu, & (quod maius eſt) Reuerendiſſimi P. M. Iacobi Thauantij in Piſano Gymnaſio ſacræ Theologiæ interpretis, meiq; amantiſſimi præceptoris conſilio, ne dicam iuſſu, has de Eccleſiaſtica Immunitate Diſputationes à me proximè confectas, & in hunc ordinem diſtributas edere, ac tuæ celſitudini dicare conſtitui. Aequi igitur, boniquè facias, obſecro (Cardinalis ampliſſime) induſtriam in hac re meam: necnon libenti animo has, qualeſcunque ſint, lucubrationes quæſo accipias: nam, licet, neque doctrina ſatis poſſim, & ingenio parum; tamen quod eru-

Diſ. 10. ca. Suſcipitis.

Decret Epiſto. tom. 3: epiſt. 1. Diſt. 10. ca. Imperium veſtrum.

ditione

ditionē vix poteram, vt diligentia, & labore aſſeque-rer neruos omnes contendi. Vale Illuſtriſſime Princeps, quem prępotens Deus ad multa tempora fœlicem, & incolumem ſeruet. Piſis. Sexto Idus Nouembris. M. DC. VI.

Catholico, & pio Lectori.

Q*VIVS* temporis Nouatores, qui non ſeruiunt Chriſto, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium; qui proclamant ſe Doctores; at diſſenſiones, & offendicula faciunt præter doctrinam, quam didicerunt; & dum vendicant ſe conſiliarios, apertè conuincuntur ex eorum numero, de quibus dicitur, In conſilium eorum non veniat anima mea; cum nemo ſit, quod bonum loquatur, ſed apprehendentes mendacium narrent iniqui fabulationes: tot ſuis ſcriptis turbas excitauere, quot ab eccleſiaſticis viris, quorum libertas propugnatur, & quales ipſi ſunt, numquàm expectarentur. Quamobrem coacti fuerunt eruditiſſimi viri ſcribere Apologias, & Reſponſiones, eaſq; vernacula lingua; quia cum illi ederent ſuos libros vulgari ſermone; ne populus deciperetur, errores adoleſcerent, & improbis daretur aditus ad multa mala, viſum fuit hoc opportunius: & certè illorum inſanam ferociam denſis, ac ſolidis argumentis ita fregerunt, ac furioſum petulantiæ impetum ſic compreſſere: vt eos pudere debeat aggreſſum tale opus, tot mendacia in ſua ſcripta inſeruiſſe, atq; à maledictis immodicè mordacibus non temperaſſe, niſi tales omninò ſint; vt quadret in illos illud Ariſtophanis in Nubibus. Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν ἀττικὸν βλέπος.

Rom. 16.
Ibidem.
Geneſ. 49.
Hierem. 8.
Pſal. 118.

Idest. Ac vultu ipſo aſpectus Atticus eminet.

Interim ego, vt ex mea tenuitate cum paupercula vidua aliquod mitterem in Domini Gazophylacium, pauca hæc de Eccleſiaſtica Immunitate elaboraui, quæ poterant ſanè in tenebris iacere, ibiq; expectare interitum, quem blattæ, & ſenium attuliſſent, aut ad ſummum paucis manuſcripta communicari; cum preſertim inter viros doctiſſimos, qui hac de re ſcripſere, ſim vt κολοιὸς ἐν ταῖς μούσαις. Cœterùm alijs aliter viſum, ijs potiſſimum, quos veneror; quibus vt morem gererem, paraui ad prælum.

Luc. 21.

Idest: Graculus inter Muſas.

Scripſi latinè; quia animus fuit procedendi ſcholaſtico more, quem an Italica lingua aptè recipiat, non diſputo, certè vſus non obtinuit: quæ enim pertinent ad Eccleſiaſticam liberta-

berta-

bertatem quoad perſonas, & bona, ſex Diſputationibus complexus ſum; quarum ſingulæ pluribus Concluſionibus explicantur, & quæq; Concluſio nititur authoritatibus, & rationibus: ſunt præterea notandá multa ſuis in locis animaduerſa; ac diluuntur obiecta non pauca, præcipuè in quarta Diſputatione, quæ ideò longior; quia ſententia, quæ ibi defenditur, plures habet, qui ei contradicant, eosq; viros inſignes; quos tamen fauere ne credas his Nouatoribus, ſed κατὰ διάμετρον (vt cum Diuo Athanaſio ſic loquar) aduerſari eorum impietati. Quod autem tàm ſerò prodierint, vt vix tandèm poſt quinque menſes (breuiter dicam, & liberè) in cauſa fuere aliorum promiſſa, mea credulitas, & impreſſoris negocia.

Idem.

Iuxta diametrum.

De Symb. Nicæn.

Tandem moneo te, & precor, vt maculas inſigniores, quas impreſſoris incuria, & properatio fudit, eluas priùs, quàm legas has meas Diſputationes, quas iudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſanctarum Scripturarum, humiliter, ac libenter ſubmitto; vt ſi quod inter diſputandum minus cautè dixero, ea, quæ errare non poteſt, emendet.

Cõc. Trid. ſeſſ. 4.

DISPV-

DISPVTATIONVM
Elenchus.

DISPVTATIO PRIMA.

An Clerici in rebus diuinis, & eccleſiaſticis à laicorum Principum legibus ſint immunes.

Concluſio prima.

Clerici in rebus diuinis, & eccleſiaſticis à laicorum Principum legibus ſunt immunes.

Concluſio ſecunda.

Principes, & Laici omnes in ijs, quæ ad ſpiritualia pertinent, eccleſiaſticis viris ſubijciuntur.

DISPVTATIO SECVNDA.

An Clerici in rebus criminalibus, & ciuilibus ſint à laicorum Principum legibus, & poteſtate immunes.

Concluſio prima.

Clerici in rebus criminalibus, & ciuilibus ſunt à laicorum Principum legibus, & poteſtate immunes.

Concluſio ſecunda.

Clerici etiam ob crimen, quod dicitur læſæ maieſtatis à laico Iudice puniri non poſſunt.

Concluſio tertia.

Accedente conſenſu Clerici etiàm cum iureiurando eum non poteſt laicus Iudex, vel in ciuilibus iudicare.

Concluſio quarta.

Laici vi cuiuſcunque conſuetudinis ius, & poteſtatem in Clericos habere non poſſunt.

Concluſio quinta.

Clerici tenentur obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ ſpectant ad regimen ciuitatis, & ſacris canonibus, atque clericali officio non repugnant, vi rationis, ſed non vi legis.

DISPVTATIO TERTIA.

An Eccleſiasticæ facultates, & bona ſint à Principum legibus, & poteſtate immunia.

Concluſio prima.

Bona, & facultates, quas Eccleſiæ, & Perſonæ Eccleſiaſticæ obtinent, à laicorum omnium, etiàm Principum poteſtate, ac legibus ſunt exemptæ.

Concluſio ſecunda.

Leges, quibus decernitur, ne Eccleſijs, & quibuſcumque locis pijs bona donentur, vendantur, ſeu legentur, eccleſiaſticam libertatem, & pietatem chriſtianam offendunt.

Con-

Concluſio tertia.

Leges, quibus ſtatuitur ne bona eccleſiaſtica laicis in emphiteuſim conceſſa ob quamcumq; cauſam ſint caducitati obnoxia, iniquæ ſunt, & iuri repugnant.

DISPVTATIO QVARTA.

An Eccleſiaſticæ perſonæ, & facultates ſint à laicorum poteſtate Iure diuino exemptæ.

Concluſio prima.

Clericorum immunitas eſt ſecundum ius naturale.

Concluſio ſecunda.

Clericorum immunitas ex ſacris litteris deprompta eſt.

Concluſio tertia.

Eccleſiaſticas perſonas, & facultates eſſe diuino Iure immunes aſſerunt Concilia, & Summi Pontifices.

DISPVTATIO QVINTA.

An, ſi Clericorum immunitas diuini Iuris non ſit, potuerit Summus Pontifex eis hoc Priuilegium irrogare.

Concluſio prima.

Summus Pontifex habet facultatẽ aliquos à iure communi priuatis legibus eximendi.

Concluſio ſecunda.

Potuit Summus Pontifex & æquum fuit, vt perſonas, & bona eccleſiaſtica à laicorum legibus, & poteſtate eximeret.

DISPVTATIO SEXTA.

An, ſi Clericorum exemptio ſolùm fuerit iure Pontificio, & Cæſareo introducta, laicus Princeps, quantumcumq; ſummus ei poſſit contrariis legibus derogare.

Concluſio prima.

Princeps laicus, quamuis dignitatis, ac poteſtatis ſupremæ Clericorum immunitatem reuocare, aut ei quicquam detrahere non poteſt.

Concluſio ſecunda.

Laicorum Principum leges, quæ derogant eccleſiaſticæ immunitati, iniquæ ſunt, & non ſeruandæ.

PERORATIO. pag. 123.

SACRAE SCRIPTVRAE AVTHORITATES,

QVAE ACCVRATE IN HIS DISPVTAtionibus explicantur.

Prior numerus Diſputationem, poſterior verò paginam ſignificat.

GENESIS.

Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane. Diſputat. 4. pag. 67. Cap. 3.

Emit igitur Ioſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitque eam Pharaoni, & cũctos populos eius à nouiſſimis terminis Aegypti vſque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: & idcircò non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti, Regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem, abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. 4. 79. Cap. 47.

EXODI.

Non furtum facies; Non concupiſces domum proximi tui: Nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. 4. 68. Cap. 20.

Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. 4. 82. Cap. 30.

NVMERI.

Etenim locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Tribum Leui noli numerare. 4. 78. Cap. 1.

Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis, vt non acce- Cap. 18.

dent vltra filij Iſrael ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, ſolis filijs Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi. 4. 81.

DEVTERON.

Cap.17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram, & non lepram; & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt ibi iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint iuxta legem eius, ſequeriſquè ſententiam eorũ, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram: qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur.* 1. 3.

Cap.20. *Appropinquante autem iam prælio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad Populum: Audi Iſrael; Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, &c.* 4. 78.

REGVM I.

Cap.2. *Præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt nõ ſit ſenex in domo tua.* 2. 39.

Ibidem. *Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filijs Ophni, & Phinees: In die vno morientur ambo.* 2. 38.

Ibidem. *Et pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit.* 2. 38.

Cap. 4. *Erantquè duo filij Heli cum Arca fœderis Domini Ophni, & Phinees.* 4. 78.

Cap.10. *Tulit autem Samuel lenticulã olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* 4. 82.

Cap.22. *Conuerſuſquè Doeg Idumæus irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta viros veſtitos ephod lineo: Nobe autem Ciuitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladij viros, & mulieres, &c.* 2. 38.

T R E G. III.

Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt nō eſſet ſacerdos Domini. 1. 28. Cap. 2.

Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula vnges Prophetam pro te. 4. 83. Cap. 19.

PARALIP. I.

Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini. 4. 98. Cap. 19.

Amaſias Sacerdos, & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent præſidebit. 1. 4. Cap. 19.

E S D R AE. I.

Vobis quoq; notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, cantoribus, & Ianitoribus, nathinæis, & miniſtris Domini Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. 4. 79. Cap. 7.

P S A L M.

Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius. 4. 97. 98.

Nolite tangere Chriſtos meos. 4. 84. 104.

M A T H AE I.

Quodcunq; ligaueris ſuper terram erit ligatū, & in Cœlis. 1. 14. Cap. 16.

Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ieſus, ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterē: illum ſumens da ei pro me, & pro te. 4. 85. Cap. 17.

Si Eccleſiā nō audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. 1. 8. Cap. 18.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. 4. 87. & 98. Cap. 22.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcunq; dixerint vobis ſeruate, & facite. 1. 37. Cap. 23.

I O A N N I S.

Si filius vos liberauerit vere liberi eritis. 4. 100. Cap. 8.

Non haberes in me poteſtatem niſi tibi data eſſet deſuper. 4. 99. Cap. 19.

ACT.

Cap. 25. *Ad Cæſaris tribunal ſto.*

EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 4. 101. 102. 103.

Ibidem. *Qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit.*

Ibidem. *Reddite ergo omnibus debita cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, miniſtri enim Dei ſunt.*

I. AD CORINTHIOS.

Capit. 4. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia?* 2. 26.

Cap. 6. *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* 4. 79.

AD EPHESIOS.

Cap. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* 1. 4.

AD HEBRAEOS.

Cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* 4. 96.

Cap. vlti. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* 4. 9.

I. D. PETRI.

Cap. 2. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam à Deo miſſis ad vindictam.* 4. 106.

RES INSIGNIORES, QVÆ IN HIS DISPVTATIONIBVS continentur.

A

ABiathar quare à Salomone Sacerdotio abdicatus fuerit. pag. 38
Adam cruēta ſacrificia, quibus Chriſti paſſio præmonſtraretur, conſtituit. 96
Aegyptiorum Sacerdotes à tributis exempti. 79
Alexandri Magni celeberrimum dictum. 35
D. Ambroſius cur Valentiniano tributum non negauerit. 63
Anathematizantur, qui exactiones, & tallia, &c. Eccleſiis imponũt, niſi debitam ſatisfactionem impendant. 55.56.57
Athalarici Regis conſtitutio. 30

B

BAſilij Imperatoris verba ſcitu digniſſima. 19
Baſilij Iunioris conſtitutio. 123
Bona Eccleſiæ laicis in Emphiteuſim data caducitati nõ ſũt obnoxia. 76
Bona eccleſiæ in ipſius exordiis cur Imperatoribus, & Regibus ſubijcerentur. 74
Bona propria contemni debent, Eccleſiæ verò poſſidere licet. 58
Bonorum Eccleſiæ partitio quando fieri cœpit: eademque quadruplex, 152
pag. 11

C

CAnonica lex offenditur, ſi canonica cauſa apud alios, quã Eccleſiaſticos examinetur. 32
Cenſus quid ſit, & quando cœperit pag. 84 85
Chriſtiani Principes pro æterna vita Pontificibus, hi verò Principũ legibus pro curſu rerum temporaliũ indigent. 47
Chriſtianorum duo ſunt genera. 110
Chriſtus ad Eccl. conſtitutionẽ nõ adhibuit Reges, ſed Prophetas, &c. 5
Chriſtus quare iuſſerit Petro, vt tributum ſolueret. 85
Clericatus cur à ſubiectione liberet, nõ autem baptiſmi character. 110
Clerici laicorum tribunalia adire nequeunt. 39
Clerici quomodo ciuilibus legibus parere debeant. 47
Clerici pro rebus ſuis, quas deferunt, vel deferri faciunt ad pedagia, & guidagia non tenentur. 57
Clerici nouæ legis nobiliores ſunt Sacerdotibus veteris legis. 82
Clericis ad ſecularem iudicem non licet appellare. 6
Clericorum pactiones, quibus Epiſcopi auctoritati derogatur, non tenent. pag. 40
Clericorum exemptio ad ſupernaturalem finem refertur. 115

Clericus ciuilibus legibus inobediens apud Prælatum ſuum eſt accuſandus non apud ſæculi Iud. 46
Conſiliarij improbi Principes perdũt. pag. 1
Conſtantius, & Conſtans magis religione, quàm vigilijs, & laboribus corporis Regna cuſtodiri, intellexerunt. 64
Conſtantini lex de vltimis voluntatibus. 67
Conſtantinus quid de Epiſcoporum libellis iurgiorum plenis decreuerit. 93
Conſuetudo contra chriſtianam libertatem eidem nihil obſtat. 64
Conſuetudo longiſſimi temporis decurſu firmata priuilegij vim habet. 43

D

DEi miniſtros temporalis poteſtatis arbitrio ſubdi nefas eſt. 28
Deo dicatum ad ius ſacerdotum pertinet. 56
Deo oblata Laico non licet auferre. 54
Didrachmum monetæ argẽteæ genus eſt valens duas drachmas. 85
Dominiorum, & rerum diuiſio à naturali iure ſumpſit exordium. 67
Eadem diuino iure approbata. 68
Dominium duplex eſt: Reale, & perſonale. 23

E

ECcleſiæ quando bonis abundare cæperit. 49
Eccleſiaſtici ab ijs iudicari debent, qui nec maiores impares, nec iure ſint diſſimiles 10
Eccleſiaſtici imperium gerunt, imò perfectius, & nobilius cæteris. 20
Eccleſiaſtici cur à cõmuni foro exempti. 33
Emphiteuſis Eccleſiaſtica poſt præfinitum tempus ad Eccleſiam concedentem reuertitur. 69
Epiſcopum cum de Epiſcopalis dignitatis imminutione agitur, ſe non ſubijcere, ſed præferre oportet. 107
Epiſcopus pecuniarias cauſſas, & huiuſmodi merè ciuiles laico iudici poteſt delegare: Papa verò criminales quoque, & ſpirituales. 111
Epiſcopus Princeps eſt & Sacerdos. pag. 20
Ethnicorum Pontificibus ſacra omnia commendabantur; deq; omnibus cauſſis ad ſacra pertinentibus ipſi iudicium ſumebant. 11

F

FErdinandi Aragonij Regis Alphonſi filij verba, ab ipſo dicta, dum è Regno pelleretur. 64
Finis diuinæ legis, & ciuilis quis ſit. pag. 121
Fori diſtinctio non fuit à Iuſtiniano ordinata. 37

G

GAllorum Sacerdotes tum à tributis, tum à bello exẽpti. 80
Gaulonitarum hæreſis quæ fuerit, & à quo originem duxerit. 109
Græcorum ruina ex violentia eorum, qui ſacra tractare auſi ſunt, quibus non congruebat. 2
Græcorum Sacerdotes maximo in honore fuerunt. 35
Gloriæ inanis cupiditas quid efficiat. pag. 62

Hære-

H

HAereſes quare obortæ ſint. 21

Heli Sacerdotis Filij ad bellum profecti, & in eo interfecti. 78

Homo non tantùm ad naturalem, ſed etiam ad ſupernaturalem finem conditus eſt. 76

Humanum ius duplex eſt, Canonicum, & Ciuile. 92

Humanis præſidibus Clerici quandoque ex humilitate, ſed laici ſemper ex neceſſitate parent. 109

I

IMmunitas Eccleſiaſtica eſt ſecundum ius naturale. 77

Ex ſacris literis deprompta eſt. 81

Eandem de iure diuino eſſe aſſerunt Concilia, & Summi Pōt. 88

Immunitas Eccleſiaſtica à quouis laico quantumcumq; ſummo reuocari non poteſt. 117

Immunitas rerum eccl. & diuinarū quæ ſit. 3

Imperatorum decreta, quibus Clerici, & bona eccl à tallijs, & exactionibus eximuntur. 59

Iudas Machabæus, & alij ſacerdotes quare præliarentur. 78

Iulianus Apoſtata Dæmonum Sacerdotib. priſtinos honores reddidit. 80

Iuramentum contra vim legum, &c. nullius eſt momenti. 39

Ius duplex eſt, humanū, & diuinū. 92

Ius diuinum duplex, aliud reuelatum poſitiuū, & aliud naturale. ibid.

Ius diuinum in Canonibus, & Concilijs ſtrictè accipitur. ibid.

Iuſtinianus ſui iuris non eſſe de ſpiritualibus legem ferre cognouit. 15

L

LAici à Sacerdotibus ligari, ſolui, & paſci debent. 80

Laici, ſi cognoſcant Clericorum cauſſas non ex ſe procedunt ſed vt miniſtri. 111

Laicis in fidei controuerſiis nullus eſt locus, ſed hoc tantùmmodò Sacerdotum eſt. 7

Laicis nulla facultas eſt diſponendi de rebus eccleſiaſticis. 53

Laicorum decreta, vel ſi ad eccleſiarum fauorem ſint, nullius ſunt roboris. 58

Laicorum leges decernentes ne eccleſiis bona legentur, &c. libertatem chriſtianam offendunt. 64

Laicos parendi, non imperandi manet neceſſitas. 55 57

Leges ciuiles duobus modis conſiderari poſſunt. 46

Legis definitio. 121

Leontij Epiſcopi graue dictum. 9

Leuitæ apud Hebræos à communibus oneribus exempti. 78

Lex contra canones iniqua eſt. 109

Lex duplex, humana, & diuina. Diuina duplex, nālis, & poſitiua. 76

Lex qualis eſſe debeat. 121

M

MAgiſtratibus parendum eſt, niſi Dei præceptis coram aduerſentur mandata. 47

B. Martinus Epiſcopus Turonenſis quare ab Imperatore hæreticos à ſe paſſos noluerit iudicari. 10

Moyſis tempore tam, qui ex Leui, quā qui ex aliis tribubus erāt, ipſius iudicio ſtabant. 72

Moyſes verè Pontifex, & Sacerdos, & Aarone maior. 97 98

O

OZias Rex quarè lepra correptus. 4

P

D. PAulus cur Cæſarem appellauerit. 99
D. Paulus quarè præceperit omnem animā ſubdi poteſtatibus. 102 103
Paupertatis votum ordini clericali non eſt annexum. 52
Pilatus cōtra Chriſtum Facti poteſtatem exercuit, non Iuris. 99
Pontifex Max. Ethnicorum diuinarū rerum, & humanarum arbiter. 12
Idem ab omni poteſtate exemptus. pag. 13
Poteſtas eccl. Petro, & ſucceſſoribus tradita. 14
Poteſtas eccleſ. & ciuilis inuicem diſtinguuntur. 32
Poteſtas Eccl perfecta eſt, & a ciuili nulla ratione dependet. 116
Poteſtas duplex Facti, & Iuris. 99
Præcepta cæremonialia, & iudicialia veteris legis, noua abrogata fuere. pag. 81
Præpoſitus, ſi malus in cauſſa fidei extiterit vitandus eſt; ſin autem in moribus, minimè. 18
Principes laici in rebus Eccl. temerè ſe committentes puniuntur. 4
Principes laici nō ſolum non dominari, ſed parere debent Epiſcopis. 9
Principes Chriſtiani leges ſuas vim habere putarunt, cum ab eccleſiaſticis firmarentur. 14
Principum illicita decreta reſcindi iubentur: 54
Principum authoritas in rebus eccle. non pendet à propria dignitate, ſed ab Eccleſiæ priuilegio. 5
Priuilegium quid ſit. 112
Priuilegium in duobus caſibus plus valet, quàm conſuetudo. 43
Priuilegiorū conceſſionis triplex cauſſa. 113

Q

QVæ Eccleſiæ ſunt Dei ſunt. pag. 87 88
Quæ peculiari Dei voluntate cōmittuntur non ſunt in legē ducēda. 39
Qui fraudat, rapit, vel aufert eccleſiæ bona, homicida eſt. 61
Qui ſupra ius eſt iuri non alligatur. pag. 114
Qui leges iniquas, & c. ferunt ad dāna reſarcienda tenentur. 122
Quod de cauſſis criminalibus dicitur in ciuilibus quoq; locū habet. 41

R

REligioſi diuinis vacantes Principum opera, & ſudores remunerant, imò pluſquàm exæquāt. 64
Reſpublica Chriſtiana duos fines habet. 13
Reſpublica religione magis, quam corporis laboribus conſeruatur. 64
Richardi Regis conſtitutio. 30
Romanorū religio erga ſacerdotes. 34

S

SAcerdotes Principum, & Regum Magiſtri. 19
Sacerdotes legis naturæ cur non fuerunt

rint à laicorum ſubiectione exempti. 19

cerdotes, Reges, & Prophetæ vngi conſueuere. 82 83

cerdotes omnes quarè dicantur Domini filij 85

cerdotes, & reliqui eccleſiaſ. quarè tributa ſoluere nō debeant. 86 87

acerdotibus ſolis eccleſiaſticarum facultatum cura à Deo cōmiſſa eſt. pag 89 90 91

Saulis tempore apud Hebręos ciuilis, & Sacerdotalis poteſtatis diſtinctio orta eſt: vſq; verò ad illud tēpus vni tantùm Dei ordinatione vtraque contigit. 97

Sermo vniuerſalis, ſi diuerſæ naturæ plura includat, ea iuxta diuerſitatem reſpicit. 109

Seruus conuerſus ad fidem Domino ſuo poteſt inſeruire, Si verò Clericus efficiatur à veteri ſubiectione liberatur. 110

Subiectio duplex naturalis, & poſitiua: vtraq; à Deo ordinata. 17

Summus Pontifex Eccleſiæ caput, Chriſti Vicarius. 117

Summus Pontifex poteſt eligere miniſtros eccleſiaſticos Principibus laicis inconſultis, vel etiam contradicentibus. 115

T

TActus in illis Pſalmographi verbis Nolite tangere Chriſtos meos, &c. non tantùm pro corporali, ſed etiam pro ſpirituali tactu accipitur. 62

Theodorici decretum de Præsbytero graui ſcelere accuſato. 30

Tributum Principibus ſoluendum eſt ab ijs, qui eorum poteſtati ſubijciuntur. 98

V

VAlentiniani, & Martiani conſtitutio. 123

Violatores ſacrorum Canonum ſpiritum ſanctum blaſphemare dicuntur. 120

NOs

NOS F. Philippus Ferrarius Alexandrinus Sacræ Theologiæ Magiſter, ac totius Religionis Fratrum Seruorum B.M.V. Prior Generalis Fratri Auguſtino Vigianio Florentino noſtri Ordinis expreſsè profeſſo licentiam concedimus, vt has ſex de Eccleſiaſtica Immunitate Diſputationes typis dare valeat. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ in Conuentu noſtro S. Marcelli die 5. Decembris. M.DC.VI

Ita eſt F. Philippus Generalis Seruorum.

Has ſex de Immunitate Eccleſiaſtica Diſputationes à ſapientiſſimo P. F. Auguſtino Vigianio Ordinis Seruorum editas diligēter perlegi, & in eis nihil fidei, & bonis moribus auerſum, ſed quidquid ad Veritatem in hac materia illuſtrandam afferri potuit egregiè diſpoſitum: quarè perneceſſarium iudico, vt quamprimùm in lucem, imò in manibus omnium, prodeant.

F. Dominicus Gorius Ordinis Prædicatorum Regens S. Mariæ Nouellæ de Florentia.

Legi has dè Eccleſiaſtica Immunitate Diſputationes, & debita adhibita diligentia nihil contra fidem, aut bonos mores inueni, quinimò omnia, & ſacris Canonibus, & ſacroſancto Concilio Tridentino conformia, nec non iuxta Indicis Regulas eſſe reperi. In quorum fidem, &c.

Ego Bernardinus Benſignatus Bononienſis Thelogus pro Curia Archiepiſcopali Bononienſi de mandato Reuerendiß. D. Vicarij Generalis Reuiſor.

Imprimatur. Vicarius Inquiſit. Bonon.

Errata ſic corrigito.

Pag.	Verſ.		
33	6	aduerſantur	aduerſatur
34	1	ſuperiorum	ſuperiorem
36	2	hmores	honore
38	11	eccleſiaſticis	eccleſiaſticos
39	26	quod eſt contra	Adde. canonica inſtituta; et ratio eſt, quia iuramentum contra
39	34	2.2.	22.
53	24	duæ	tres
56	33	erigit	eripit
69	25	conſtringitur	conſtringatur
70	6	ſanciri	prohiberi
73	25	eſt ſublatura	eſt Dei ſublatura
73	32	indinſtinctè	indiſtinctè
75	28	in Prax. Epiſco.	in Prax. Archiepiſcop.
78	2	magis etiam	magis eſt, etiam
79	25	immunitatem	immunitatum
95	13	Apparatu	Apparatus
102	34	prodiebant	prodibant
105	29	ligar:	ligari:
107	21	fuerunt	fuerunt
124	27	cricuit	circuit
125	7	pretexentes	prætexentes
126	9	humilitare	humilitate

In margine 50. Videntes. Adde 11. q. 1. cap.

Quę verò pertinent ad rectam ſcribendi, & interpungendi rationem diligens Lector per ſe emendabit.

AN CLERICI IN REBVS *Diuinis, & Eccleſiaſticis à laicorum Principum legibus ſint immunes.*

DISPVTATIO PRIMA.

QVÆSTIONES ſex de Eccleſiaſtica immunitate, quantum ingenij mei exiguitas feret, aſpirante Deo, qui dat os & ſapientiam, explicaturus; non ab re futurum exiſtimaui, ſi hæc tractatio, à propoſita difficultate initium duceret: non quod à catholicis viris in dubium reuocetur; ſed vt ea ſit ad differenda quaſi præludium: præterquamquod huius examinis anſam aliquam his temporibus præbet, Theologus quidam nomine multis ſanè ignotus; at ex libello ſuo, qui lingua vernacula exaratus inſcribitur *RISPOSTA D'VN DOTTORE DI TEOLOGIA, &c.* falſarum opinionum & ſchiſmatum diſſeminator notiſſimus, ex eo ſcilicet hominum genere, qui dum mundanis Principibus (quorum mens alioquin optima eſt) quod eſſe cupiunt, perſuadent, eiſque licere quod non licet, inculcant, ſuę & alienę ſalutis obliti incautos atque Eccleſiaſticæ libertati infenſos, ſecum præcipites ad interitum trahunt. Hanc miſeriam agnouit & deplorauit græcus vir Symeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus (quem ante annos ſexcentos vixiſſe tradit Antonius Poſſeuinus in 6. libro Bibliothecæ ſelectæ, & Apparatus ſacri tomo 3. cuius opera in Bibliotheca Imperatoris manu ſcripta extare dicuntur,) cum lib. 8. de Myſterijs, & Cæremonijs Eccleſiæ in Imperatorum libertatem Eccleſiaſticam oppugnantium aſſentatores inuehe-

inufferetur; cuius verba quia digniſſima ſunt, quæ hac tẽpeſtate præſertim à catholicis Principibus, eorumquè conſiliarijs perpendantur, ſcribere non grauabor. Verùm hæc non tàm ab Imperatoribus facta ſunt, quàm ab aſſentatoribus, qui verbis hominum illis perſuaſerunt maiora, quàm pro facultate facere poſſent:& paulò infra; Hinc multæ ruinæ noſtræ,hinc imminuti, & ad pauciores, quàm omnes gentes redacti, & propter eorum violentiam,qui poteſtatem in ijs habere & ea tractare ſtudent, quæ eis non congruunt, alieni nobis imperant, & quia faciunt, quæ Deo diſplicent, noſtri, & Dei inimici, nobis, vt par eſt, inſultant; & dùm ſacra vindicamus, communicamuſquè ea nobiſcum putantes lucrum facere ex conſecratis Deo, factum eſt, vt propria amiſerimus, & depaſcunt noſtra, in noſtroquè conſpectu aduerſarij noſtri comedunt.

Sed, vt reuertar ad præfatum Doctorem, in vltimis verbis propoſitionis primę, vbi verba Apoſtoli ad Roman. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, in medium attulit; ſubdit. *En authoritas quam in condẽdis legibus circa omnem materiam, & ſupra omnes perſonas laici Principes habent*; quam concluſionem à verbis Diui Pauli falsò deductam, & ſimpliciter falſam eſſe Illuſtriſſimus Bellarminus in reſponſionibus docet.

Quod autem laicis Principibus ſuper Eccleſiaſticos viros eiuſmodi ſit poteſtas, arguitur ex ijs, quę in negocijs Eccleſiaſticis decreuere Imperatores, vt ex multis conſtitutionibus videre eſt, præſertim ex ijs, quæ libro primo Codicis Iuſtinianei, & Theod. vltimo clauduntur; in quibus de fide Catholica, de ſanctiſſimis Eccleſiæ Epiſcopis, & Clericis, dequè huiuſmodi agitur.

Ante difficultatis explicationem duo præmitto: Vnum, cum quæritur; an Clerici in rebus diuinis, & Eccle-

Eccleſiaſticis à laicorum Principum decretis ſint immunes; idem eſſe, ac ſi quæratur; an Princeps Clericis poſſit ſacrorum officiorum executionem, peccatorum punitionem, adminiſtrationem Sacramentorum, Scripturarum interpretationem, excommunicationũ, ſuſpenſionum, irregularitatis, & interdicti pœnas, nec non Epiſcoporum, & omnium, qui ad Eccleſias ſunt promouendi, examen, creationem, priuationem, confirmationem inſtituere, imperare, vel interdicere, & alijs huius generis ſanciendis præeſſe.

Alterum eſt, quod ſi Principes circa rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem aliquid habent authoritatis, vt, eligendi Epiſcopum, præſentandi perſonas ad dignitates, & ſacerdotia; hoc ius exercent non ſuæ dignitatis ratione, ſed Eccleſiæ benignitate ac priuilegio, ita vt Romanus Pontifex his poſſit derogare ſi velit, nec proinde iniuriam inferat; quia vtitur iure ſuo, & tantum id ius laicó adimit quod ab Eccleſia recepit; ita Canoniſtæ communiter, vt in Pract. quæſtionum, cap. 36. Didacus Couarruuias tradit.

His prænotatis duæ ſtatuuntur concluſiones.

Prior ſit. Clerici in rebus diuinis, & Eccleſiaſticis laicorum Principum legibus ſunt immunes.

Huic Theologi omnes, & Canoniſtæ ſubſcribunt, eamquè ex iure diuino depromptam eſſe affirmant.

Probatur primũ teſtimonijs veteris legis Deut. 17. *Si difficile, & ambiguũ apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſquè ab eis qui iudicabunt tibi, iudicij veritatem; & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint iuxta*

legem eius, ſequeriſquè ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram: qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur.

Præterea Paralip. 2. cap. 19. *Amaſias Sacerdos, & Pontifex* (ait Rex Ioſaphat) *in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.*

2. Paralip. cap. 26. Hinc meritò Ozias laicus Princeps, qui Sacerdotũ officiũ ſibi vſurpare præſumpſit, à Domino lepra mul-
Epiſt. 10. 3. ctatus eſt. Quam rem Hieronymus epiſt. 142. ad Damaſum Pontificem maximũ ita deſcribit. Ozias Rex, quamdiù vixit Zacharias Sacerdos, cognomento Intelligens, placuit Deo, & cũ omni veneratione ingreſſus eſt eius delubrum: poſtquam verò Zacharias obijt, volens per ſe offerre donaria, Sacerdotalem ordinem non tàm piè, quàm audacter inuaſit; & reclamantibus Leuitis, & Sacerdotibus cæteris: Nonne tu es Ozias Rex, & non Sacerdos? audire noluit, ſtatimquè lepra perfuſus eſt in fronte, iuxta prophetiæ vocem dicẽtis:
Pſal. 28. *Imple Domine faciem eorum ignominiâ.* Huius Principis
Conc. to. 3. lib. 2. cap. 31. audaciam rẽferens Synodus Aquiſgranẽſis habita ſub Pipino monet, ne quiſquam in ea, quæ ſui iuris non ſunt, temerè irrumpat. Hanc lepram (inquit) quam Ozias propter ſuam temerariam præſumptionem, & alterius officij illicitam arreptionem in corpore vſque ad diẽ obitus ſui ſuſtinuit, cauere oportet eos, qui ea, quæ ad ſuum miniſterium non pertinent, auferre non permiſerunt: ne fortè (quod abſit) in anima eandem lepram miſerabiliter ſuſtineant.

Secundò probatur ex noua lege ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sãctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Hinc optimè Diuus Ioannes Damaſcenus

ſcenus orat. 2. de Imaginibus. Regum partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant. Conſidera enim quid Diuus Apoſtolus dicat, & quos quidem in Eccleſia poſuit, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tùm Paſtores, & Doctores; ad Eccleſiæ conſtitutionem non adhibuit Reges.

Tertio loco accedat Concilium Antiochenum ſub Iulio primo in cuius cap. 12. habetur. Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus, vel Præsbyter, vel Diaconus, aut etiam ſi à Synodo quilibet Epiſcopus fuerit exauctoratus, moleſtiã Imperialibus auribus inferre non præſumat, ſed ad maiorem Epiſcoporum Synodum ſeſe conuertat; & quæ ſe putat habere iuſta, in eorũ Concilio alleget; atque ab his de ſe expectet, quę fuerit deprompta ſententia. Quod ſi deficiens puſillanimitate hæc noluerit facere, ſed Imperatori fuerit importunus, huiuſmodi nullam veniam habeat, neque locum vllius aſſertionis ſuæ, nec ſpem recipiendi gradus habeat in futurum. Conc. to. 1. 21. q. 5. c. ſi quis.

Hanc eandem conſtitutionem in Græcarum Synodorum, quas Martinus Bracarenſis Epiſcopus concinnauit, cap. 35. habemus. Si quis Epiſcopus, aut Præſbyter, aut Diaconus excommunicatus in Concilio iniuſtè ſe quæritur condemnatum, ad maiorum Epiſcoporum Concilium reuertatur, & eorum inquiſitionẽ, & iudicium expectans, ſi quas ſe iuſtas cauſas habere putat exponat. Si autem contempſerit, & importans ſe Palatio aures Principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire, neque ſpem futuræ reconciliationis habebit. Conc. to. 1. 21. q. 5. c. ſi quis Epiſcopus.

Quartò. Probatur testimonio Summorum Pont. inter quos Eugenius Secundus Decernimus (ait) vt laici Eccleſiaſtica tractare negocia non præſumant. De Iudic. tt. 1. c. Decernimus.

Nicolaus Primus Epiſtola octaua ad Michaelem Impe- Decret. tomo 3.

Imperatorem circa finẽ, Nolite (inquit) quæ ſua ſunt (de Synodis loquitur) vſurpare; nolite quæ ipſi ſoli commiſſa ſunt, velle ſuſcipere, ſcientes, quia tantò nimirùm à ſacris debet omnis mundanarum rerũ adminiſtrator eſſe remotus, quantò quemlibet ex cathalogo Clericorum, & militantiũ Deo nullis cõuenit negocijs ſæcularibus implicari: Deniquè hi, quibus tantum humanis rebus, & non diuinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos diuina miniſtrantur, iudicare præſumant, penitus ignoramus.

Conc.to.5 Docet hoc idem Alexander Tertius in Cõcilio Lateranenſi parte decima de appellationibus cap. 26. Cũ enim Præsbyter de Curket, & Vu. auctoritate Sedis Apoſtolicæ cõtempta circa ſpiritualem cauſam ad audientiam Domini Regis appellaſſet, inquit, Quoniam nemini licet ſuper rebus ſpiritualibus ad ſæcularem Iudicem appellare; ſi verum eſt, quod prædictus Reuerendus normiter, & immoderatè deliquerit, nec delictum huiuſmodi debet inultum, aut impunitum relinqui, diſcretioni veſtræ, &c. quatenus vtramque partem ante præſentiam veſtram conuocantes, rem ſollicitè, & diligenter inquiratis; & ſi ita eſſe inueneritis præfatum Reuerendum ab omni Eccleſiaſtico beneficio (appellatione remota) & officio ſuſpendatis, & ad præſentiam noſtram cum literis veſtris rei veritatem continentibus ſuſpenſum mittatis.

Decret.to. 2. Gregorius Magnus lib. 5. epiſt. 25. ad Maximum in Salona, qui Epiſcopatum arripuit; Et nobis, & omnibus notum eſt, ait, piiſſimus Dominos Mauritium Auguſtum, & Conſtantium, diſciplinam regere, ordines ſeruare, Canones venerari, & ſe in cauſis Sacerdotalibus non miſcere: Inſtanter exequimur quod & illorũ iuuat animam, atquè Rempublicam, & ad quod nos terribilis, tremendiquè Iudicis reſpectus impellit.

Quinto

Quinto loco accedant Imperatorum teſtimonia; & primò Theodoſij, & Valentiniani Epiſtola ad Synodum Epheſinam; Candidianum præclariſſimum Religioſorum domeſticorum Comitem ad ſacram veſtrã Synodum abire iuſſimus, ſed ea lege,& conditione, vt cum quæſtionibus,& cõtrouerſijs,quæ circa fidei dogmata incidunt nihil quicquam commune habeat: nefas eſt enim, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum cathalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negocijs, & conſultationibus immiſcere. Decret. to. 3. Extat in actis Conc. Epheſ. cuius Nicol. I. loco cit. meminit.

Ijdem Epiſtola ad Cyrillum; At verò ſiuè illi veniam impetraturi ſunt, qui à Patribus victi fuerint, ſiuè non; nos ſanè Ciuitates ſimul & Eccleſias conturbari nequaquam ſinemus, ſed nec eam quoque doctrinam indiſcuſſam manere patiemur, cui dijudicãdę eos præfici oportet, qui Sacerdotijs vbiuis gentium præſidẽt, per quos & nos quoq;in veritatis ſententia ſtabilimur, magis magiſquè identidem ſtabiliemur. Ibid. extat cap. 7.

Et Sozomenus lib.6.cap.7. de Valentiniano Imperatore ait, Petentibus Epiſcopis, vt ſibi de doctrina fidei rectè conſtituenda in vnum conuenire permitteretur, Valentinianus Imperator reſpondit, ſibi, qui vnus è laicorum numero eſſet, non licere eiuſmodi negocijs ſe interponere; & ideo inquit, Sacerdotes, & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, vbicũque ipſis libitum erit, in vnum conueniant.

Honorius Epiſt. ad Arcbadium Orientis Principẽ poſt multa concludit; Ad illos (ideſt Epiſcopos) diuinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis ſpectat obſequium.

Id ipſum Iuſtinianus in Authent. Conſtit. 123. pariter aſſerit; Si Eccleſiaſticum negocium ſit, nullam communionem habento Ciuiles Magiſtratus cum ea diſceptatione, ſed religioſiſſimi Epiſcopi ſecundum ſa

ceros Canones negocio finem imponunto.

Conc to. 3 Et Baſilius Imperator in Oratione, quam habuit in octaua Synodo ſub Hadriano Secundo; Vobis, laici, tàm qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè, hoc eſt, abſque dignitatib. verſamini, nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonẽ mouere; neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari: hæc enim inueſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cœleſtes adepti ſunt claues; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui debemus.

Oper. t. 2. Sextò. Addantur Patrum Græcorum teſtimonia. Athanaſius Epiſtola ad ſolitariam vitam degentes, loquẽs de Imperatore Conſtantio Arriano, qui aliquod iudicium ſibi in Eccleſijs vſurpabat, inquit; Si iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid cum eo commune habet Imperator? Sin contra iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopi? quando à condito æuo auditum eſt? quando iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quandò vnquàm hoc pro iudicio agnitũ eſt? Plurimæ ante hac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſię habita sũt, ſed neq; Patres huiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.

Graue Leontij Tripolis Epiſcopi dictum in hanc ſententiam in eius vita à Suida relatum dignum eſt, vt hic inſeratur. Conſtantio inter Epiſcopos præſidente, & Eccleſijs præſcribere volente, plerique quicquid ille dixiſſet, cum plauſu, & admiratione accipiebant, rectiſſimè id eſſe dictum aſſerentes, hic verò tacebat:

quem

quem cum rogaret Imperator; Quid tu ſolus omnium taces? Miror (inquit) qui fiat, vt alijs curandis deſtinatus alia tractes, qui cum rei militari, & Reipublicæ præſis, Epiſcopis ea præſcribas, quæ ad ſolos pertinēt Epiſcopos.

Hoſius Epiſcopus Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem; Deſine quæſo, & memineris te mortalem eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illum diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Habēt hęc verba inter opera Diui Athanaſ. in Epiſt. ad ſolitariā vitā degentes.

Cyrillus Alexandrinus Epiſtola ad Synodum Antiochenam; Eſſet multò melius moltòque iuſtius, ſi Eccleſiaſticæ quęſtiones in Eccleſia agitarentur, ac iudicarentur, quàm apud alios externos, quibus ſanè huiuſmodi cauſarum tractatio non conuenit. In actis Synodi Epheſinæ.

Septimò. Patrum Latinorum ſentētia idē aſtruitur. Hilarius lib. 2. ad Conſtantium Auguſtum; Prouideat (inquit) & decernat clementia tua, vt omues ſe vbiquè Iudices, quibus Prouinciarum adminiſtrationes ſunt creditæ, ad quos ſola cura, & ſollicitudo publicorum negociorum pertinere debet, à religioſa ſe obſeruantia abſtineant. Neque poſthàc præſumant, atquè vſurpent, & putent ſe cauſas cognoſcere Clericorum, & innocentes homines, varijs afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atquè vexare.

Et Lucifer Calaritanus lib. 1. ad Conſtantium Auguſtum pro Sancto Athanaſio; Proba te (inquit) ſuper nos factum Iudicem, proba te ad hoc conſtitutum Imperatorem, vt nos armis tuis ad omnem implēdam voluntatem amici tui Diaboli perduceres, cum probare non poſſis: quià præceptum ſit tibi non ſolùm nō dominari Epiſcopis, ſed & ita eorum obedire ſtatutis, vt ſi ſubuertere eorum decreta tētaueris, ſi fueris in ſuperbia compræhenſus, morte mori iuſſus ſis.

Oper.to.3. Epiſt.lib.5. Diuus Ambroſius Epiſt.32. ad Valentinianum Imperatorem; Cui rei reſpondeo (vt arbitror) competenter, nec quiſquam contumacem iudicare me debet cum hoc aſſeram, quod Auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſanxit in cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis eũ iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. Et paulò infrà; Quando audiſti clementiſſime Imperator in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe: ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe alijs putem eſſe credendum? Si docendus eſt Epiſcopus à Laico, quid ſequatur? Laicus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat, Epiſcopus diſcat à Laico.

Ibidem. Et Epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem; Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina ſunt Imperiale aliquod ius habere: Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare eſto Dei ſubditus.

Martinus Epiſcopus Turonenſis vir planè Apoſtolis conferendus, (vt refert Seuerus Sulpicius lib.2. ſacræ Hiſtoriæ) pulſis Hæreticis Priſcillianiſtis Epiſcopali ſententia à ſuis Eccleſijs, ab Imperatore eos iudicandos non eſſe defendit, nouum autèm eſſe, & inauditum nefas, vt cauſam Eccleſiæ Iudex ſeculi iudicaret.

Oper.to.3. Hugo Victorinus de Sacramentis fidei lib.2. par.2. cap.8. Negocia ſecularia à poteſtate terrena, ſpiritualia verò, & Eccleſiaſtica à ſpirituali poteſtate examinentur: ſecundùm cauſam iuſtitia violaretur, ſi Iudex ſecularis Eccleſiaſtica negocia examinanda ſuſciperet.

Octauò. Liceat mihi ex antiquis Ethnicis eamdem veritatem oſtendere, cum præcipuè ab authoritate,

quæ

quæ procedit ab ipſorum exemplis arguere fas ſit, cap. Quæſta, vbi Archid. 13. q. 2. & cap. Sacerdotibus, §. ante eum, vbi Dominicus 11. q. 1.

Quod apud Romanos, Pontifices ſoli ſacra omnia promiſcuè commendata habuerint, plurium Scriptorum authoritate poteſt comprobari.

Marcus Tullius de Aruſp. Reſpon. indicat, cum inquit; Ex hoc Aruſpicum reſponſo decreuit Senatus, vt de locis ſacris, ac religioſis ad hunc ordinem (Pontificum ſcilicet) referretis. Oper. to. 4.

Et in exordio Orationis pro domo ſuæ ad Pontifices; Cum multa diuinitus Pontifices, à Maioribus noſtris inuέta, atquè inſtituta ſunt, tùm nihil præclarius, quàm quod vos eoſdem, & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ Reipublicæ præeſſe voluerunt, vt ampliſſimi, & clariſſimi Ciues Rempub. bene gerédo, Pontifices Religiones ſapienter interpretando, Rēpublicam conſeruarent. Ibidem.

Idem ad Atticum, lib. 1. epiſt. 13. Poſtquam Senatui renuntiatum eſſet P. Clodium cum veſte muliebri deprehenſum domi C. Cæſaris, cum pro Populo à Veſtalibus ſacra fierent, eam rem ex Senatusconſulto ad Virgines, & Pontifices relatam, idquè ab his nefas eſſe decretum. Oper. to. 7.

Et ſecundò de legibus: Publicus Sacerdos imprudentiam conſilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis Religionibus fœdis damnet, atquè impiam iudicet. Oper. to. 9.

Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 2. refert; Pontifices de omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus iudicaſſe; nō ſolùm leges de ſacris inter priuatos, & Magiſtratus, atquè inter Deorum miniſtros arbitratu ſuo condidiſſe; ac Sacerdotes omnes, penes quos cæremoniæ fuerint, examinaſſe, & palàm de Religione, & cultu Deo-

rum reſpondiſſe, adeo vt, perindè ac, ſacri Iuris interpretes, atquè Doctores extiterint. Quod confirmat Plutarchus in Numa, vbi eos eſſe ait loco interpretis Deorum, Vatis, ſacrorumquè enarratoris, & Doctoris.

Tacitus Annal. lib. 3. controuerſias rerum ſacrarũ ad Collegium Pontificum referendas eſſe his verbis expreſſit; Quando de Religionibus tractabatur, dilatũ nuper reſponſum aduerſus Seruium Maluginenſem Flaminem Dialem promiſit Cæſar, recitauit decretum Pontificum.

Idem lib. 11. Claudius retulit ad Senatum ſuper Collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: factum eſt Senatusconſultum, viderunt Pontifices, quæ retinenda, firmandaquè Aruſpicum.

Titus Liuius Decadis primæ lib. 1. de Pōtificis Maximi iure ita diſſeruit; Pontificem Numa Marcium Marci filium ex Patribus legit, eiquè omnia exſcripta exſignataquè attribuit; quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quæ tēpla ſacra fierent; atquè vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur: cœtera quoquè omnia publica, priuataquè ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit, vt eſſet quò conſultum plebs veniret, nequid diuini iuris, negligendo patrios ritus peregrinoſquè aſciſcendo, turbaretur; ne cœleſtes modò cæremonias, ſed iuſta quoquè funebria, placandoſquè manes, vt idem Pontifex edoceret.

Quin Feſtus Pompeius lib. de verbor. ſignificat. in verb. Ordo conuiuij, ſcribit; Pontificem Maximum eſſe omnium Sacerdotum Iudicem, & arbitrum rerum diuinarum, & humanarum: Tanta enim fuit Pontificũ authoritas, vt ex Plinio de viris illuſtribus, & Dionyſio loco citato elicitur; vt cauſas ad Senatum referre, aut

e, aut ei reddere rationem aliquam non tenerentur; atquè non ſolùm non poterat eorum iuſſa reſcindere; verùm Pontifices erant ab omni poteſtate exēpti: quo rum potentia, cum poſtea Imperatoribus ſuſpecta foret, quò huiuſmodi ſuſpicionem deponerent Summo Pontificatu initiari voluere, vt libro 53. ſcribit Dion Caſſius. Quod etiam Maro Æneidos lib. 3. his verſibus ſignificauit;

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiquè Sacerdos
Victis & ſacra redimitus tempora lauro
Occurrit.

Probatur vltimò ratione: & primùm, Poteſtas Eccleſiaſtica non ſolùm eſt à ciuili diſtincta, ſed etiàm ea ſuperior: ergo ſaltèm in rebus Eccleſiaſticis à ciuili nō pendet, & conſequenter à laicorum Principum legib. Clerici in his erunt immunes.

Antecedens probatur. Potentiæ, & Artes ex Ariſt. Ethyc. 2. per actiones differunt, & hæ per obiecta, & fines, ad quos actiones diriguntur. Sed in Republica Chriſtiana ſunt duo fines; Vnus naturalis, quò ciuilis adminiſtratio tendit, Pax ſcilicet, & Tranquillitas; Et alter ſupernaturalis, ſempiterna videlicet Beatitudo: ergo poteſtas Eccleſiaſtica, & Ciuilis inuicèm diſtinguuntur.

Quod autem ſuperior ſit Eccleſiaſtica, probatur: Nam ex eodem Ethycor. 1. Qualis eſt ordo inter fines, talis eſt inter facultates, & artes, quæ illos propoſitos habent: Sed finis Eccleſiaſticæ poteſtatis ciuilis eſt fine ſuperior: ergo poteſtas Eccleſſaſtica eſt Ciuili ſuperior, & nobilior.

Secundò. Princeps laicus non poteſt aliquid vltrà virtutem acceptam à ſuis cauſis: At eius Principatus cauſæ ſunt Humanæ, & Naturales; efficiens quidem, vt Electio, & eiuſmodi; finalis Pax, & Tranquillitas

Reipu-

Reipublicæ: ergo non habet virtutem, vel poteſtatem niſi humanam.

Maioris veritas pendet à communiſſimo dicto: Nemo dat quod non habet. l. More. ff. De Iuriſdict. l. Nemo plus Iuris, ff. De Regu. Iur. Vnde, & Magnus Albertus Ethyc. 1. tract. 2. cap. 6. Cauſatum (inquit) nihil in ſe habet, quod prius non fuerit in cauſa.

Præterea. Poteſtas Eccleſiaſtica, quæ circa ſpiritualia verſatur, eſt à Deo ſupernaturaliter inſtituta, & Petro, vt Principi, eiuſquè Succeſſoribus, non Laicis Principibus demandata; ita Matthæi 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis.* & Ioan. vlt. *Paſce oues meas*: ergo laici Principes nullam ſuper huiuſcemodi rebus habent facultatem.

Vltimò. Si Clerici in his quæ ad ſpiritualia negocia pertinent, à laicis Principibus nō eſſent immunes, ſequeretur eos aliquam iure diuino habere poteſtatē ſpiritualem, & Eccleſiaſticam: Sed Ius diuinum non modò Clericos in his Laicis non ſubmittit (vt dictum eſt:) imò Laicos Clericis, vt in ſequentis Concluſionis probatione videbimus: ergo in his, quæ ad ſpiritualia negocia pertinent à Principum laicorum ſtatutis, & legibus ſunt ètiam iure diuino immunes.

Ijs autem, quæ in contrarium afferuntur, duplici reſponſione ſatisfieri poteſt. Prior eſt, Chriſtianos Principes quicquam ex his, quæ ad diuina, & Eccleſiaſtica pertinent, per ſe ipſos haud definiuiſſe, ſed ea, quæ ab Eccleſia definita ſunt, ſumma reuerentia, & pietate ſuſcipientes, legibus communiuiſſe, ac pœnarum terrore iniecto, quò ſuum erga Eccleſiæ Maieſtatem obſequium poſteris manifeſtarent, curaſſe, vt ab omnibus obſeruarentur; neque aliter Conſtitutiones ipſorum obtinere vim legis, ipſi etiam agnouerunt, cum quicquid de ijs ſanxiſſent, id iuxtà Sacros Canones, & præcepta

epta Sanctorum Patrum eſſe profiterentur.

Hinc Martianus Imperator, l.Nemo, C.De ſumma Trinitate,& fide Catholica;Iniuriam facit iudicio Reuerendiſſimæ Synodi: ſi quis ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderit, um ea, quæ nunc de Chriſtiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone conuenerunt per noſtra præcepta ſtatuta ſunt iuxtà Apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta Sanctorum Patrum in hac regia vrbe definita eſſe oſcantur.

Theodoſius,& Valentinianus l.9. C.de Epiſcop.& Cler. cum ætatem decernerent, intrà quam Virgines, & Viduæ fieri poſſent Diaconiſſæ; Nulla (inquiunt) niſi emenſis quinquaginta annis, vel ſexaginta, ſecundum præceptum Apoſtoli ad Diaconiſſarum conſortium transferatur.

Iuſtinianus; Omnibus Epiſcopis, & Præsbyteris interdicimus ſegregare aliquem à ſacra communione, antequàm cauſa monſtretur, propter quam ſacræ Regulæ hoc fieri iubent.

Et inferius §.Clericos; Si verò Lector ſecundam ducat vxorem aut primam quidem viduam, aut ſeparatam à viro, aut legibus, aut ſacris Canonibus interdictam,nequaquam ad alium Eccleſiaſticum ordinem promoueatur.

Præter quam quod Epiſcoporum, & Conciliorum rogatu, & monito huiuſmodi leges aliquando ſanxere,vt ex Concilio Africano ſub Bonifacio I. c.52. perſpicuè cernitur. Conc.to.I

Hinc Iuſtinianus agnoſcens Imperatorum non eſſe per ſeipſos de ſpiritualibus rebus quidquam decernere,tantumquè roboris in huiuſmodi ſanctionibus eſſe; quantum ab Eccleſiaſticis, præſertim verò à Summo Pontifice comprobarentur, L.7. C.De ſumma Trinit. ac fide

ac fide Catholica, ad Pontificem ſcribens; petimus ergo (inquit) veſtrum paternum affectum, vt veſtris ad hos deſtinatis literis, & ad ſanctiſſimum Epiſcopum huius almæ Vrbis, & Patriarcham veſtrum fratrem, (quandò, & ipſe per eoſdem ſcripſit ad veſtram ſanctitatem, feſtinans in omnibus ſedem ſequi Apoſtolicam Beatitudinis veſtræ) manifeſtum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta rectè confitentur, ſuſcipit Sanctitas veſtra, & eorum, qui iudaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam.

Poſterior reſponſio eſt; Et ſi mundani aliqui Principes ſuper Eccleſiaſtica negocia authoritatem ſibi aliquoties vſurparunt, non tamen ob id Clericorum iuri derogatum fuiſſe.

Conc. to. 2. Teſtatur hoc Romana Synodus tertia ſub Symmacho, in qua cum Baſilij Regis Odoacri vices agentis, conſtitutio de bonis Eccleſiaſticis non aliènandis ſub pęna anathematis legeretur, Maximus Epiſcopus Bleranæ Eccleſiæ ſurgens ait: Sancta Synodus dignetur edicere, ſi licuit laico homini anathema dicere. Dicite quid vobis videtur; ſi de me licuit laico legem dare? Sancta Synodus dixit: Non licuit.

Præterquàm quod, non valet hic arguendi modus; Imperatores de rebus diuinis decreta fecere: ergo Clerici in his quæ ad diuina pertinent, à laicorum legibus non ſunt immunes; vt in reſponſione ad vltimam partem quintæ propoſitionis ignoti Theologi Illuſtriſſimus Bellarminus obſeruat.

Quod autem afferri ſolet de Ceciliano Carthaginenſi Epiſcopo quaſi à Conſtātino Magno quidquam propria authoritate de eo fuerit iudicatū, quid de hac

Oper. t. 2. re Diuus Auguſtinus Epiſtola 166. referat, audiamus: Primi maiores noſtri cauſam Ceciliani ad Imperatorē Conſtantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, pro-

bemus

ius vobis, & ſi non probauerimus agite de nobis
quid potueritis. Sed quia Conſtantinus non eſt
us de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam,
uè finiendam Epiſcopis delegauit. Quod & factũ
in vrbe Roma, præſidente Melchiade illius Eccle-
Epiſcopo cum multis collegis ſuis.

Secunda concluſio ſit. Principes, & Laici omnes
is, quæ ad ſpiritualia pertinent, Eccleſiaſticis viris
bijciuntur.

Hæc concluſio ex diuino iure deprompta, eſt om-
m Theologorum, & Canoniſtarum: cuius proba-
quàmuis ex ijs, quæ allata ſunt, facilè dignoſcatur,
pleniorem huius veritatis doctrinam adhuc multis
odis oſtenditur.

Sed priùs vnum animaduerto; Subiectionem du-
cem eſſe, Naturalem vnam, Ciuilem, ſeù Poſitiuam
eram. Naturalis eſt hominis ad Deum, filij ad pa-
ntes, quæ immutabilis eſt, & nũquam extinguitur.
uilis, & Poſitiua, quæ humana accedente volunta-
orta eſt; quomodo Monaci Abbati, Chriſtianus po-
lus Pontifici, aut Principi ſubduntur: Abbas enim,
ntifex, & Princeps eliguntur, hominum accedente
nſenſu; quamuis autẽ Eccleſiaſtica poteſtas, vt Pon-
icia, ſit ex diuina inſtitutione, homines tamen ex e-
ctione humana ad eam aſſumuntur.

Vtraque ſubiectio iuſta eſt, & ordinata à Deo, & id-
cò vtrique ſua debetur obedientia; ſed quoniam de
tantùm poſitiua eſt ſermo, quæ ad Eccleſiaſticã po-
ſtatem refertur, cæteris ommiſſis ſic comprobamus.

Primùm ex diuinis literis: Matthæi c. 23. habetur;
*per Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæ-
mque dixerint vobis ſeruate, & facite*. Ex quibus ver-
s Diuus Bernardus homil. 66. ſuper Cantic. Cantic.
piſcopis iubentibus obediendum eſſe collegit; Su-

per Cathedrã Moyſi (inquit) ſederũt Scribę, & Phariſæi: & qui non obedierint eis tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerint etiam in ipſum Dominum præcipientem, & dicentem, quæ dicunt facite.

Et apud eundem cap. 18. *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Et Lucæ 10. *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.*

Præterea, Diuus Paulus ad Hebręos cap. vlt. vbi loquitur de Epiſcopis, inquit; *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant; quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quæ verba Chryſoſtomus tractans in Cõmẽtarijs ait; Quid ergo dicit aliquis? dùm Præpoſitus malignus extiterit, nùm obaudiemus? Quomodo malum dicis? Siquidem eſt in cauſa fidei, fuge illum, & euita, non ſolùm ſi homo fuerit, ſed etiàm ſi Angelus de Cœlo deſcenderit. Si verò in vitæ moribus malignũ dicis, noli curioſus eſſe: & hæc non ex me ipſo dico, ſed ex ſcriptura diuina: audi enim Chriſtum dicentem; *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi*: & primò cum commemoraſſet de his multa mala, tunc dixit; *Sederunt ſuper Cathedram Moyſis: omnia, quæ dixerint vobis, facite; quæ autem fecerint facere nolite.* Habent (inquit) dignitatem licèt vitæ ſint perditæ: verùmtamen non ad vitam eorum, ſed ad ſermones intendite.

Oper. to. 4

Decret. Epiſt. to. 1.

Secundò probatur teſtimonio Gelaſij Primi Epiſt. 10. ad Anaſtaſium Imperatorem; Noſti (inquit) fili clemẽtiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præſulibus diuinarum rerum deuotus colla ſubmictis.

Decret. Ep. to. 3. diſ. 96 c. Quis dubitet.

Et Gregorij Septimi lib. 8. Epiſt. 21. ad Hermanum Metenſem Epiſcopum; Quis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumquè fideliũ Patres, & Ma-

& Magiſtros cenſeri? Nonne mirabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur; ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubijcere, à quo credit non in terrâ ſolũ, ſed etiam in Cœlis ſe poſſe ligari, & ſolui?

Tertiò accedat authoritas Conſtantini Imperatoris, qui vt ſcribit Sozomenus lib. 1. c. 8. ſcripſit tùm ad Epiſcopos, tùm ad Præſides cuiuſcumque Prouinciæ; ad illos quidem, vt quæ vellent imperarent; ad hos autem, vt morem gererent Epiſcopis, eorumquè imperata ſtudiosè facerent.

Et Baſilius Imperator Oratione, quam habuit in octaua Synodo; Quantęcumque (inquit) religionis, ac ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiamſi vniuerſa virtute interius polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet: rurſus Epiſcopus quantacumque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute donec Antiſtes eſt, & veritatis verbum prædicauerit, Paſtoris vocationis, & dignitatis damna non patietur: Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea, quæ ſuper nos ſunt quęrẽdi, & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore, & fide ſincera hos audire, & facies eorum vereri (cũ ſint Miniſtri Domini omnipotentis, & huius formam poſſideant) & nihil ampliùs, quàm ea, quæ noſtri ordinis ſunt requirere.

Ex qua ſimilitudine Paſtorum, & Ouium ex ſacris literis educta Illuſtriſſimus Bellarminus ad ignotum Theologum, in primæ reſponſionis particula ſexta, oſtendit Laicos omnes, etiam Principes iure diuino Sacerdotibus eſſe ſubiectos, eodemquè iure Sacerdotes mundanis Principibus minimè ſubijci.

Quartò Græcorum Patrum teſtimonijs hoc idem probatur: nam Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 17

Ad hodiernum (inquit) vſque diem cernimus mundanos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis. Et Gregorius Nazianzenus orat. 17. quæ eſt ad Ciues Nazianzenos, & iraſcentem Præfectum; Quid igitur dicitis (ait) aut quid inter nos conuenit? an me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoq; imperio meo, ac trono meo lex Chriſti ſubiecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præſtantius, ac perfectius; niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere.

Ioannes Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Diaconū alloquens (ait) ſi Dux quiſpiam; ſi Conſul ipſe; ſi is, qui diademate ornatur indignè adeat; cohibe, & coerce: maiorem tu illo habes poteſtatem.

Quinto. Latinorum Patrum authoritates accedant. Ignatius Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus in Epiſt. ad Smyrnenſes ex Troia; Nemo (inquit) præter Epiſcopum aliquid agat eorum, quæ ad Eccleſiam pertinet. Et paulò infrà; Epiſcopum honorare oportet tāquàm Principem Sacerdotum; Principatū quidem ſecundū Deum; Sacerdotium verò ſecundum Chriſtum: poſt hunc honorare oportet etiam Regem. Si quis enim contra Regem inſurgens damnatione eſt dignus, quomodo vltionem diuinam poterit euadere, qui præter Epiſcopū aliquod egerit? Laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Præsbyteris, Præsbyteri Epiſcopis, Epiſcopus Chriſto.

Et idem ad Philadelphienſes; Principes (inquit) ſubditi eſtote Cæſari, Milites Principibus, Diaconi Præsbyteris vt ſacrorum adminiſtratoribus; Præsbyteri verò, & Diaconi, omnis Clerus ſimul, & omnis Populus, Milites, Principes, atque Cæſares obediant Epiſcopo, Epiſcopus verò Chriſto.

Quapropter Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. pręclarè dixit;

Neq; enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtẽperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.

Arnulphus Lexouienſis in ſermone habito in Concilio Lugdunenſi; Vtinam (inquit) Fridericus Imperator humilietur ſub potenti manu Dei, & principatũ Eccleſiæ ſuo præeſſe princiuatui recognoſcat. Vtinam intelligat, quòd ſi Chriſtum ſponſum ſcilicet Eccleſię Dominum confitetur, neceſſe habet, & Eccleſiã, quæ ſponſa eſt, nihilominus Dominam confiteri, &c.

Probatur vltimò Ratione. Clerici in his, quæ diuina reſpiciunt, ſunt Laicis omnibus, etiam Principibus ſuperiores: ergo laici in eiuſmodi rebus ijs debent eſſe ſubiecti.

Conſecutio eſt D. Pauli ad Roma. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*.

Antecedens probatur: Quia, ſicuti anima, qua ſentimus, mouemur, & viuimus, corpore ſublimior eſt; ita ſuperiores, qui ea tractant, quæ ad animam pertinent, quàm qui circa illa verſantur, quæ diriguntur ad corpus.

Prætereà Ciues ſubduntur Principi in rebus politicis, ſerui Dominis in corporalibus miniſterijs, ita D. Paulus ad Rom. 13. *Neceſſitate ſubditi eſtote nõ ſolùm propter iram: ſed etiàm propter conſcientiam*.

Et D. Petrus Epiſt. 1. c. 20. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Domini, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiàm diſcolis*: ergo Laici omnes ſubijci debent in ſpiritualibus, Clericis, & Sacerdotibus.

Ex his conſtare ſatis arbitror Clericos in rebus diuinis, & Eccleſiaſticis non ſolùm laicis Principibus non ſubdi, ſed illis debere Principes eſſe ſubiectos, &c.

Nec enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.

Arnulphus Lexouienſis in ſermone habito in Concilio Lugdunenſi; Vtinam (inquit) Federicus Imperator humiliaretur ſub potenti manu Dei, & principatū Eccleſiæ ſicut oportet principaliter recognoſcat. Vtinam intelligat, quod in Chriſtum ſponſum ſcilicet Eccleſiæ Dominum confitetur, vt ſe habet, & Eccleſiā, quæ ſponſa eſt, nihilominus Dominam confiteri, &c.

Probatur vltimò Ratione, Clerici in his, quæ diuina reſpiciunt, ſunt Laicis omnibus, etiam Principibus ſuperiores: ergo Laici in eiuſmodi rebus ijs debent eſſe ſubiecti.

Conſequentia eſt D. Pauli ad Roma. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Antecedens probatur: Quia, ſicuti anima, qua ſentimus, mouemur, & viuimus, eſt corpore ſublimior: ita ſuperiores, qui ea tractant, quæ ad animam pertinent, quàm qui circa illa verſantur, quæ diriguntur ad corpus.

Et ita Ciues ſubduntur Principi in rebus politicis, vel Dominis in corporalibus miniſterijs, ita D. Paulus ad Rom. 13. *Neceſſitate ſubditi eſtote nō ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

Et D. Petrus Epiſt. 1. c. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, [illegible] di-ſcipulis*: ergo Laici omnes ſubiecti debent in ſpiritualibus Clericis & Sacerdotibus.

Ex hiſce vlterius fit, vt alter Clericos in rebus diuinis, & Eccleſiaſticis non ſolum laicis Principibus non ſubditos, ſed illos eſſe Principes eſſe ſuos, &c.

AN CLERICI IN REBVS *criminalibus, & ciuilibus ſint à laicorum Principum legibus, & poteſtate immunes.*

DISPVTATIO SECVNDA.

CVM Eccleſiaſticorum immunitas circa ſpiritualia, & diuina, prima diſputatione abſoluta ſit: ſequitur examinanda altera Quæſtio, An, ſcilicet, in ijs negocijs, quæ res diuinas, & Eccleſiaſticas non reſpiciunt, à Principum laicorum poteſtate exempti ſint: in cuius explicatione quid ſacra Concilia, quid Pontifices, & Imperatores decreuerint, quiduè Ratio ipſa ſuadeat; pluribus concluſionibus videamus oportet.

Sed primùm pro terminorum propoſitæ Quæſtionis intelligentia animaduerto, Ius, ſiuè Dominium vnius in alterum duplex eſſe: Vnum, quod appellant Reale, alterum Perſonale.

Reale eſt in Rem, quæ perſona non ſit, vt Ius in Agrum, & Domum.

Perſonale in Perſonam; vt Ius Paternum in Filium: Seruile in Seruum, Maritale in Coniugem, Regis, aut Principis in Rempublicam; & hoc illud eſt, de quo in præſentia diſſerendum propono.

Pro difficultatis explicatione ſit prima Concluſio. Clerici in rebus criminalibus, & ciuilibus ſunt à laicorum Principum legibus, & poteſtate immunes.

Hæc eſt omnium Theologorum, & Canoniſtarum, qui Clericorum perſonas à poteſtate ciuili aliquo iure exemptas eſſe fatentur. Sed quoniam tota lis eſt, An iure Diuino, an verò Canonico, huius rei ſolutio-

nem

nem in quartum locum reijcimus, vbi ſacrarum litterarum teſtimonia, quæ hic conſultò prætermittuntur, etiam perpendemus.

Conc. 10. 1. Primò. Ex ſacris Concilijs demonſtratur. Etenim in Concilio Romano primo ſub Syluestro Romano Pontifice Syluester Epiſcopus dixit; Nulli omninò Clerico licere cauſam quamlibet in publico examinare, nec vllum Clericum ante iudicem laicum ſtare; & dixerunt omnes Epiſcopi; Placet.

Ibidem. Et in Concilio Romano Secundo ſub eodem c. 16. ſtatuitur, vt Nemo Clericus, vel Diaconus, aut Præsbyter propter cauſam ſuam, quamlibet intret in Curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio ſimulacrorum eſt: quoniam ſi quis Clericus Eccleſiam introierit anathema ſuſcipiat numquam rediens ad Matrem Eccleſiam.

Ibidem. 11. qu. 1. c. Placuit. Et in Concilio Carthaginenſi tertio c. 9. quod circa tēpora Syricij Summi Pontificis celebratum eſt. Placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Præsbyterorum, Diaconorum, ſeu Clericorum cum in Eccleſia fuerit ei crimen intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio publicis Iudicibus purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia locum ſuum amittat, & hoc in criminali iudicio; in ciuili verò perdat, quod euicit, ſi locum ſuũ obtinere voluerit. Cum enim ad eligendos Iudices vndiquè pateat authoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio ſecularium poſcit auxilium, cum priuatorum Christianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atquè ibi determinari præcipiat.

Corinth. 1. c. 6.

Ibidem. 11. qu. 1. c. Placuit. Et in Concilio Mileuitano ſub Innocentio primo c. 19. Placuit, vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum petierit proprio honore priuetur.

In

In Concilio Agathenſi circa tempora Cœleſtini I. celebrato c. 32. Clericum, nullus præſumat apud Iudicem ſecularem, Epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit nō reſpondeat, nec proponat, nec audeat criminale negocium in iudicio ſeculari proponere. Ibidem. 11.q.1.c. Clericum.

Et in Chalcedonenſi ſub Leone primo actione 15. can. 9. Siquis Clericus habet cum Clerico litem, aut negocium, proprium Epiſcopum ne relinquat, & ad ſecularia iudicia ne excurrat. Paulò poſt; Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis ſubijciatur. Conc.to.2. 11.q.1.c.ſi Clericus.

Hoc idem ſtatuitur in eo Concilio, quod Veneticū appellant ſub eodem Pontifice celebrato, nō quidem Venetijs florentiſſima Italiæ Vrbe, vt Surius conc.to. 2.exiſtimauit, ſed in Venetēſi Ciuitate in Gallia Lugdunenſi, vt Illuſtriſſimus Baronius Annal. Eccleſiaſt. to.3.in calce quartidecimi anni Leonis Summi Pontificis,& Alfonſus Ciaconius de Vitis Summorum Pontificum, in eiuſdem Leonis vita, & geſtis ſub litera D. arbitrantur: Verba Concilij cap.9.hæc ſunt; Clerico niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui ſeruorum ſuorum ſecularia iudicia adire non liceat: ſed ſi fortaſſe aliqua aduerſus ipſum Epiſcopum fuerit nata contentio aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſecularium poteſtatum debebit adire, alitèr à communione habeatur alienus. Conc.to.2.

In Epaumenſi ſub Gelaſio primo c.11. Clerici ſine ordine Epiſcopi ſui adire, vel interpellare publicū iudicium non præſumant: ſed etſi pulſati fuerint ſequi ad ſeculare iudicium non præſumant. Ibidem.

In Aurelianenſi tertio tempore Childeberti Regis, & Vigilij Summi Pontificis c.31. ſtatuitur, quod Clericus cuiuslibet gradus ſine Pōtificis permiſſu nullum Ibidem. 11.qu.1.c. Clericum.

ad ſeculare iudicium prçſumat attrahere: neque laico inconſulto Sacerdote Clericum in ſeculare iudicium liceat exhibere.

Ibidem. In Toletano tertio ſub Pelagio Secundo cap. 13.

11.qu.1.c. Inolita. Diuturna indiſciplinatio, & licentiæ inolita præſumptio vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad iudicia publica protrahant. Proindè ſtatuimus hoc de cætero non præſumi: Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

Ibidem. Et in Concilio Matiſconenſi primo ſub eodem Pô-

11.qu.1.c. Nullus Clericus. tifice cap.8. Nullus Clericus alium Clericum ad iudicem ſecularem accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere, quocumque modo præſumat: ſed omne negocium Clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Præsbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiatur. Quod ſi quicumque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta, ictus accipiat; ſi certè honoratior, triginta dierum incluſione mulctetur.

Ibidem. In Antiſiodorenſi ſub temporibus Deuſdedit Papæ cap.35. Non licet Præsbytero, aut Diacono, vel cuiquam Clericorum de qualibet cauſa conclericum ſuum ad iudicem ſecularem trahere.

Conc.to.3 Et in Concilio, quod ſub Pipino Gallorum Rege

11.qu.1.c. Placuit. apud palatium Vernis celebratum fuit, c.18. decernitur, vt Nullus Clericus ad iudicia laicorum publica conueniat ſine iuſſione Epiſcopi ſui, vel Abbatis, iuxtà Canon. Carthaginen.c.8.

Decret.Epiſt.to.1. Secundò. Hoc idem oſtenditur ex placitis Summorum Pontificum. Etenim Clemens Romanus Epiſtola prima ad Iacobum fratrem Domini, inquit; Si qui ex fratribus negocia habeant inter ſe apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud Præsbyteros Ec-

clesię

cleſiæ quicquid illud eſt dirimatur.

Et Caius Epiſtola ad Felicem; Primò quidem ſcias Paganos, & Hæreticos non poſſe Chriſtianos accuſare, aut voces eis infamationis inferrè: deindè nemo vnquam Epiſcopum apud Iudices ſeculares, aut alios Clericos accuſare præſumat. Decr.epiſt. to.1.

Marcellinus Epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Orientales; Clericum (inquit) cuiuslibet Ordinis abſquè Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat ad ſeculare iudicium attrahere; nec laico quemlibet Clericum accuſare. Decr. to.1. 11.qu.1.c. Clericum.

Et Leo primus Epiſtola 96. ad Epiſcopos Thraciæ; Cenſemus itaquè, vt quicumque prætermiſſo Sacerdote Eccleſiæ ſuæ ad diſceptationem venerit ſecularium, ſacris liminibus expulſus à cœleſti arceatur altario. Decret.Epiſt.to.1.

Gregorius Magnus lib. 3. Epiſt. 26. ad Ianuarium Epiſcopum Calaritanum; Fratris (ait) & Coepiſcopi noſtri Felicis, & Ciriaci Abbatis relatione cognouimus, quod in inſula Sardinia, Sacerdotes à laicis Iudicibus opprimantur, & fraternitatem tuam Miniſtri ſui deſpiciant: dumquè ſolum ſimplicitati à vobis ſtudetur, quantùm videmus diſciplina negligitur. Vndè hortor, vt omni excuſatione poſtpoſita Eccleſiam, quam ſuſcepiſti, authore Deo regas, diſciplinam Clericos tenere cogas nullius verba metuere ſtudeas. Decret.Epiſt.to.1. 11 qu.1.c. Fratris.

Idem libro 9. epiſt. 32. Romano Defenſori Siciliæ. Peruenit ad nos quod ſi quis contra Clericos quoslibet cauſam habeat, deſpectis, eorum Epiſcopis, eoſdē Clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi authoricipimus, vt hoc denuò facere non præſumas. Ibidem. 11.qu.1.c. Peruenit.

Nicolaus primus ad conſulta Bulgarorum cap. 70. De Presbyteris qualeſcumque ſint; Vobis, qui laici Decret.Ep. tom 3.par. 70.

eſtis, nec iudicandum eſt, nec de vita ipſorum quippiam inueſtigandum, ſed Epiſcoporum iudicio quicquid eſt per omnia reſeruandum.

Nicolaus Secundus in Epiſtola decretali, Cuiuslibet (inquit) Ordinis Clericos laici non iudicent; nec de Eccleſijs eijciant.

Et Alexander ſecundus Salernitano Archiepiſcopo; Si Clerici (inquit) coram ſeculari iudice conuicti fuerint, vel confeſſi de crimine; non ſunt propter hoc à ſuo Epiſcopo aliquatenus condemnandi: ſicut enim ſententia à non ſuo Iudice lata non tenet, ita nec facta confeſſio coram ipſo.

Tit. 1. de iudiciis cap. Clerici. Lucius tertius; De omni crimine Clericus debet coram Eccleſiaſtico iudice conueniri.

Tertiò Imperatorum Decretis. Et primò Valentiniani, Theodoſij, & Archadij l. vlt. C. Theod. de Epiſc. iudic. Continua lege ſancimus, vt nullus Epiſcoporũ, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt ad iudicia, ſiuè ordinariorum, ſiuè extraordinariorum iudicum protrahantur: habent enim illi ſuos Iudices, nec quicquam his, publicis eſt commune cum legibus.

[Margin: 1. q. 1. c. Continua.]

Iidemquè d. l. vlt. Fas (inquiunt) non eſt, vt diuini muneris Miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Diui Pauli fortaſſe verbis admoniti 1. ad Corinthios 4. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia?*

Iidemquè Theodoſius, & Valentinianus dicta l. vlt. Codice Theod. de Epiſcop. & Cleric. Clericos, quos indiſcriminatim ad ſeculares Iudices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali Audientię reſeruamus.

Archadius, & Honorius; Quæcumque (inquiunt à Patribus noſtris diuerſis ſunt ſtatuta tẽporibus, manere

nere inuiolata, atquè incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias, præcipimus. Nihil igitur à priuilegijs immutetur, omnibuſquè, qui Eccleſijs ſeruiunt, tuitio deferatur: qui temporibus noſtris addi potius reuerentiæ cupimus, quàm ex ijs, quæ olìm præſtita ſunt immutari.

Martianus Cod. de Epiſcopali Audientia; Decernimus (inquit) vt quicumque Catholicarum Eccleſiarum, quæ ſub viro religioſo Archiepiſcopo huius almæ Vrbis ſunt, Reuerendiſſimum Oeconomum, ſiuè de Eccleſiaſticis, ſiuè de proprijs, & ad ipſum ſolum pertinentibus cauſis, vel quęcumque alterum earumdem Eccleſiarum Clericum aliqua voluerit lite pulſare, apud memoratum beatiſſimum Archiepiſcopum cauſam dicat.

Leo, & Anthemius (vt habetur l. Omnes. Cod. De Epiſc. & Cler.) Orthodoxæ fidei Sacerdotes, & Clerici cuiuſcũque gradus ſint: Monachi quoquè in cauſis ciuilibus ad extranea iudicia protrahi non debeãt: ſed apud ſuos iudices ordinarios Eccleſiarum miniſterijs obſecundent.

Iuſtinianus in Authent. Conſtit. 83. Reuerendiſſimis Clericis hoc damus priuilegium, vt, ſi quis habet aduerſus eos quamlibet pecuniariam cauſam, priùs ad Deo amabilem Archiepiſcopum pergat, ſub quo conſtitutus eſt, & interpellet eum.

Idem Conſtitut. 123. Si qui eiuſdẽ Synodi religioſiſſimi Epiſcopi aliquam inter ſe controuerſiam habeant, ſiuè de iure Eccleſiaſtico, ſiuè de quibuſdam alijs rebus, prius Metropolitanus ipſorum cum alijs duobus de Sancta Synodo Epiſcopis, rem dijudicato.

Huc teſtimonia trium Regum accedant. Theodoricus enim Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo ſcribẽs (vt extat apud Caſſiodorum libro primo Epiſtola 9.)

Sed

Sed quoniam (inquit) etiam ipſi Clericatus nomine fungebantur, ad ſanctitatis veſtræ iudiciũ cuncta trãſmittimus ordinanda; cuius eſt, & æquitatem moribus talibus imponere, quam nouimus traditiones Eccleſiaſticas cuſtodire.

Hic idemmet Annæ Comiti reſcribens (vt habetur apud eumdem Caſſiodorum lib. 1. Epiſtola 18.) Cum Laurentius Præsbyter graui ſcelere accuſaretur, vt Clericos atrociorum criminum reos, non ad Regale, ſed ad Epiſcopale iudicium pertinere oſtẽderet; Scelus (inquit) quod nos pro Sacerdotali honore relinquimus impunitum, maiori pondere credimus iudicandum.

Athalaricus Rex in Epiſtola ad Clericum Romanæ Eccleſię (vt videre eſt apud eumdem Caſſiodor. lib. 8. Epiſt. 24.) poſtulantem, vt iuxtà antiquam conſuetudinẽ à laicis Iudicibus, qui eos contumelioſè, & acerbè nimis exagitabant in forenſibus litibus, redderentur immunes, inquit; Conſiderantes Apoſtolicę Sedis honorem, & conſulentes ſupplicantium præſenti authoritate moderato ordine definimus, vt ſi quiſpiã ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſſimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus; vt & ipſe inter vtroſq; more ſuæ Sanctitatis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminandã.

Ricardus etiam Normandiæ Rex (vt in Hiſtoria Anglicana de Anno 1190. Matthæus Pariſius refert) circa Clericos ſanxit, vt nulla occaſione à ſecularibus capiantur poteſtatibus, niſi pro homicidio, furto, & incendio, & huiuſmodi enormi flagitio. Qui continuò cum requiſiti fuerint, à Iudicibus Eccleſiaſticis, quietè & ſine mora, reddantur in curia Eccleſiaſtica iudicandi.

Quintò.

Quintò. Græci vnius Patris teſtimonio cōprobatur. Diuus enim Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Iulianum, qui ab Imperatore exequandis tributis prępoſitus fuerat; Oues (ait) ne paſtores ipſos paſcatis, neque vltra fines veſtros efferamini: ſatis enim ſuperquè vobis eſt, ſi rectè paſcamini, ne Iudices ipſos iudicetis, nec legislatoribus leges præſcribatis. Deus enim confuſionis, & diſſenſionis non eſt Deus, ſed pacis, & ordinis; ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pedis, aut cuiuſpiam alius vilioris membri nomen ſuſtinet.

Idemquè Oratione in funere ad Præfectum; Nos (inquit) optime Præfecte rerum omnium, quæ gerũtur *Cenſorem vnum, ac Regem habemus*, qui nunc armis oppugnatur, & mox, vt oſtenderet non licere Imperatoribus actiones Sacerdotum vllo modo cognoſcere ait; Vobis autèm tametſi vim afferre, ſi ita tulerit animus, in procliui ſit, id tamen numquàm extorquebitis, quin ea, quæ facta ſunt, vt rectè, iuſtequè facta patrocinio noſtro defendamus, niſi hanc vobis legē promulgare libeat, *quibus ne limis quidèm oculis res noſtras aſpicere fas ſit*.

Sextò. Latinorum Patrum authoritatibus. Diuus Ambroſius, vt Valentiniano Imperatori perſuaderet, laicorum iudicijs eſſe nulla in re Eccleſiaſticos viros ſubijciendos; eius Patris decretum, quo cautum erat, vt à Sacerdotibus non à laicis Sacerdotum cauſæ cognoſcerentur, ante oculis ponit, Epiſt. 32. lib. 5. ſic inquiens. Hæc verba reſcripta ſunt; Hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare; quin etiàm ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, & mox eſſet examinanda cauſa, etiam hunc voluit ad Epiſcopalem iudicem pertinere.

Iuo Carnothenſis Epiſcopus Gallus, quem (vt Poſ-

ſeuinus

ſeuinus tradit, Apparatus ſacri tomo ſecundo) Beatum appellant, & floruit circa annum Domini 1160. cum Eccleſiaſtici quidam viri de Canonico reo criminis ab illo quæſiſſent; an eius cauſam à laicis iudicibus tractari permitterent; Reſpondit; Si Canonicum veſtrum criminaliter impetitum alibi quàm in Eccleſia examinari conceditis, canonicam legem offenditis Et paulò poſt; Si ſciremus vos eſſe paratos, vt cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum; poſſemus vos exhortari, vt ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere.

Dan. c. 13.

Thomas Archiepiſcopus Canthuarienſis, qui prò immunitatis eccleſiaſticæ defenſione Martyrium paſſus, ijs qui Eccleſijs præſunt inſigne reliquit exemplum, ad Regem Angliæ ſcribens; Quia certum eſt (inquit) Reges poteſtatem ſuam ab Eccleſia accipere; non ipſam ab illis, ſed à Chriſto (vt ſalua pace veſtra loquar) nō habetis Epiſcopis præcipere, abſoluere aliquem, vel excommunicare, trahere Clericos ad ſecularia iudicia.

Oper. to. 3.

Hugo Victorinus de Sacramentis fidei libro ſecundo, parte 27. capite 8. Secundum perſonam iuſtitiam violaretur, ſi iudex ſecularis in Eccleſiaſticam perſonam manum mitteret.

Denuò huius immunitatis æquitas ratione oſtenditur.

Primùm. Poteſtas Eccleſiaſtica, & Ciuilis ſunt omninò ſciunctę, ita vt vtraque ſuos habeat Magiſtratus Præſides, ſiue Præfectos: ergo vtraque ſeorsùm iudicia in ſuos exercet.

Sequela probatur. Quia cum inter has poteſtates huiuſmodi ſit diſcrimen: cauſa nulla eſt, cur Clericus

ad Ci-

ad ciuiles potius quàm ad Eccleſiaſticos magiſtratus vocari debeat.

Tùm: ſequeretur Eccleſiaſticos viros diuinis officijs ſedulò vacare non poſſe, ſi laicis iudicibus eos ad libitum ad ſua tribunalia euocandi ius foret: atqui abſurdum eſt hoc, quod inſtituto ipſorum aduerſantur; vnde Diuus Paulus 2. ad Thimoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus*: igitur eorum iudicio, & poteſtati ſubiectos eſſe non decet.

Inſuper. Si in cauſis Eccleſiaſticis (vt patet) ſunt à foro laicorum immunes, ergo & in reliquis huiuſmodi immunitatem aſſequantur oportet.

Conſecutio probatur: quia ſępè contingere poſſet, vt cum Eccleſiaſticis, cauſæ quoque alterius generis concurrerent: vnde cum ipſi ad varios iudices euocarentur; inde perplexitas, rixæ, confuſiones, & ſcandala euenirent: quare, vt his occurreretur incommodis, decuit, vt in quibuſcumque cauſis à communi foro eximerentur.

Prætereà. Principum legibus, & poteſtati obedire debent ſubditi, non alieni; ita Diuus Thomas 1. 2. quæſt. *96*. artic. 5. at Clerici Laicis non ſubduntur, ſed præſunt: ergo ſub eorum legibus, & poteſtatibus non ſunt.

Et confirmatur: quia inferior nō habet poteſtatem in ſuperiorem, cap. Inferior. 21. diſt. & cap. Cum inferior. de maior. etiam ſi delinquat in territorio ſui inferioris ſecundum Gloſ. 3. & ſing. cap. 1. de rapto, communiter receptam ibi, & à Panormit. & Felin. in cap. Cum inferior. de maior.

Deindè. Ethnici Iuris authores abſurdum exiſtimarunt parem in parem aliquam authoritatem habere ad cap. Raynutius. in verb. Et vxorem. in 2. num. 322. ergo multò abſurdius eſſet, ſi minori, & inferio-

ri in maiorem, & ſuperiorum iuriſdictio aliqua contigiſſet.

Poſtremò. Si Miniſtri Eccleſiæ, qui nedùm ſecularium Magiſtratuum, ſed & Regum, atquè Imperatorum, Paſtores ſunt, tam quam rei ad eorum tribunalia ſiſterentur, hoc in maximum vergeret Eccleſiaſticæ Maieſtatis dedecus, ac turpitudinem. Etenim dùm laici Iudices traherent Sacerdotes ad dicendã cauſam eoſquè varijs modis exagitarent; nec non, vbi cauſa poſtuláret, propria authoritate in eos animaduerterent, dignitas Sacerdotalis, qua nulla præſtantior, paulatim ſordeſcens laicis in contemptum veniret. Atqui id non decere agnouerunt etiàm Ethnici ipſi, qui ſuos Sacerdotes in ſummo pretio habuere, eoſquè vt ſacros homines è cœlo miſſos reueriti ſunt. Quod vt clarius eluceſcat, aliquot ex antiquis Scriptoribus exempla depromam.

De Cerere placanda. De Lucio Furio Bibaculo. Romani veteres, quibus non ſeruandæ dumtaxat, ſed etiam amplificandæ Religionis ſtudiũ fuit, vt ſcribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. omnibus Religionem præponendam eſſe duxere etiam cum de ſummæ Maieſtatis decore ageretur. Quapropter non dubitarunt ſacris Imperia ſeruire; tunc humanarum rerum fauſtum futurum regimen exiſtimantia, cum diuinæ potentiæ benè, atquè conſtanter famularentur; atquè, cùm rebus ſacris, tùm Sacerdotibus honor debitus haberetur. Quod animi iudicium non ſolùm in principum virorum, ſed in priuatorum quoquè pectoribus verſatum eſſe hoc præcipuè exemplo oſtendit.

Vrbe à Gallis capta cum Flamen Quirinalis, Virginesquè Veſtales ſacra onere partito, ferrent, eaſquè Pontem Sublicium tranſgreſſas, & Cliuum, qui ducit ad Ianiculũ deſcendere incipientes, L. Albinius plauſtro coniugem, & liberos vehens aſpexiſſet, publicæ

Reli-

Religionis, quàm priuati commodi ſtudioſior, atquè vt libro 5. T. Liuius ſcribit, irreligioſum ratus Sacerdotes publicos, ſacraquè pedibus ire, ferriquè, ſequè, ac ſuos in vehiculo conſpici, ſuis, vt Plauſtro deſcenderent, imperauit, atquè in id Veſtalibus, Flamine, & ſacris impoſitis, cęptum iter omiſit, & Cære, quò Sacerdotes tendebant peruexit. Eoſdem etiam in rebus publicis digniorem obtinuiſſe locum Arnobius aduerſus Gentes libro 4. explicat ſub his verbis; Sedent in ſpectaculis publicis Sacerdotum omnium, Magiſtratuumquè Collegia, Pontifices Maximi, & Maximi Curiones: ſedent quindecim viri laureati, & Diales, cum apicibus Flamines; ſedent Augures interpretes diuinæ mentis, & voluntatis; necnon & caſtæ Virgines perpetui nutrices, & conſeruatrices ignis.

Apud Græcos tanto in honore Sacerdotes fuere, vt publicis omnibus conſilijs intereſſent, ſic referente Marco Tullio de Diuinatione libro primo; Athenienſes omnibus ſemper publicis cõſilijs diuinos quoſdam Sacerdotes, quos Mantes vocant, adhibuerunt, & Lacedæmonij Regibus ſuis Augurem aſſeſſorē dederunt; itemquè Senibus (ſic enim Conſilium publicum appellant) Augurem intereſſe voluerunt. Oper. to. 9.

Quin, & Alexander Magnus, cum Hieruſalem verſus Caſtra mouiſſet, vt eam Vrbem diriperet, Sacerdotem Summum Pontificio ornatu indutum ei occurrentem magno cum apparatu, non ſolum benignè ſuſcepit, ac ſalutauit: ſed ipſum flexis genibus adorauit; & Parmenioni eius familiari interroganti, quam ob rem Iudæorum Pontifici ſe ita ſubiecißet, reſpondit; Non hominem adoraui, ſed Deum, cuius eſt Sacerdos. Rei tàm illuſtris meminit Ioſeph de Antiquit. lib. 11. cap. 8. D. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 45.

Apud Gallos refert Cæſar libro 6. de bello Gallico hominum, qui, in honores eſſent, duo genera fuiſſe, vnum Druidum, hoc eſt, Sacerdotum, alterum Equitum. De Sacerdotibus inquit; Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoquè hi ſunt apud eos in honore.

Alia multa huius generis exempla in medium afferri poſſent. Qui plura cupit videat Petrum Ribadeneyram in ſuo tractatu de Religione lib. 5. c. 35. & Anaſtaſ. Germ. de Sacrorum Immunit. libro 1. præſertim cap. 9. 10. 11. Cauſam honoris, qui communiter Sacerdotibus exhibetur, Plutarchus in Opuſculo, quod inſcribitur, Cum Principibus maximè Philoſophū debere diſputare, &c. affert his verbis; Sacerdotibus reuerentiam, & honorē, Reſpublicæ impendunt, quod à Dijs poſtulent bona, non ſolùm ſibi ipſis, amicis, ac familiaribus, verùm etiam in commune omnibus Ciuibus; cum tamen Sacerdotes non id efficiant, vt Dij ſint bonorum datores, ſed tales cum ſint, inuocant.

Quod ſi apud omnes gentes tantus honor Sacerdotibus ſemper habitus eſt; quanti fieri debent veri Dei miniſtri ab his, qui ſacro flumine abluti Religionem Catholicam profitentur? quare, vt Sacerdorū dignitati conſuleretur, æquum profectò fuit, vt à communi foro eximerentur.

Neque obſtat Conſtitutio aliqua contra hāc libertatem à quoquis, quauis terrena authoritate fungente, edita; etenim vel ei derogatum eſt; vel dicendum; quod cum ſacris Canonibus leges huiuſmodi opponantur, nullius ſunt roboris, ac ſeruari non debent.

Sed non poſſum non mirari; quod dixerit Theologus ſine nomine in primæ propoſitionis parte tertia, primùm fuiſſe Iuſtinianum, qui fori diſtinctionem induxerit. Nam præter ſacræ Scripturæ, atquè Conciliorum

liorum authoritates, ab Illuſtriſſimo Cardinali allatas, ac munificentiſſimi Conſtantini teſtimonium, quod il le Theologus conatur infringere, & ego ad quartam diſputationem accuratiùs expendendum reijcio: nonne Valentinianus, & Theodoſius, qui circa annũ 387. ac Leo, & Anthemius circiter 470. imperarunt, diſtinctionem huiuſmodi (vt patet ex eorum decretis ſupra citatis) inſinuarunt? & tamen Iuſtinianus multò poſt (quippe qui circa annum 530. Imperij habenas ſuſcepit) eas leges inſtituit.

Secunda Concluſio ſit. Clerici etiàm ob crimen, quod dicitur læſæ Maieſtatis, à laico Iudice puniri non poſſunt.

Et ſi veritas huius Concluſionis ex his, quæ ſupra in medium attuli, comperta ſit, eam tamen ob criminis atrocitatem parumper expendam.

Iulius Clarus ſentẽt. lib. 5. §. læſæ maieſtatis, verſic. Hinc infertur, refert à iuriſperitis eam communiter eſſe receptam; imò licet Clerici nati in terris, quæ laico Principi ſubiectæ ſunt, naturaliter, ſiue originariè dicantur eſſe ex eius Principis ditione, vt communiter aſſerere Doctores teſtatur Gigas de crimine lęſę Maieſtatis quæſt. 63. num. 8. quia tamen poſt promotionem ad Clericatum laico Principi non ſubduntur, non poſſe dici læſæ Maieſtatis crimen contra eũ committere. Quod & re ipſa contigiſſe refert idem Clarus. Etenim 19. Septembris 1554. Senatus Mediolanenſis quemdam Laurentium Vicomercatum, qui accuſabatur, quod inſeruiſſet Gallis, abſoluendum cenſuit; cum ipſum cuiuſdam Abbatiæ eſſe perpetuum Commendatarium conſtitiſſet.

Poſſumus igitur rationem ita erigere. Clerici laico Principi ſubditi non ſunt: ergo læſæ maieſtatis crimẽ contra eum committere non poſſunt.

Conſe-

Conſequẽtia probatur: quia ſubditi ſolùm huiuſmodi crimina perpetrare dicuntur, non ij, qui eius poteſtati non ſubſunt: & hanc eſſe communem ſententiam ait Roland. conſ.4. num. 1. vt loco citato verſic. quandoque, ſcribit idem Iulius Clarus.

Sed obijcitur. Salomon ſummo Sacerdotio abdicauit Abiathar (vt habetur 3.Regum cap.2. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini*) eo quod cum Adonia, & Ioab contra maieſtatem Regiam conſpiraſſet: ergo ob crimen læſæ Maieſtatis poteſt laicus Iudex in Eccleſiaſticis animaduertere.

Reſpondet Illuſtriſſimus Bellarminus tũ ad quintæ propoſitionis par.1. ignoti Theologi, tùm in Controuer. to.1. de Roma.Pontif. lib.2. cap.29. ad quartum, Salomonem, non vt Regem, ſed vt Prophetam, & diuinæ Iuſtitiæ executorem depoſuiſſe Abiathar altero ſubſtituto. Nam ibidem dicitur, Salomon amouiſse Abiathar; *vt impleretur ſermo Domini.*

Vt huius Reſponſionis vis percipiatur animaduerto 1.Regum cap.2. Deum prædixiſſe multa mala quæ euentura erant domui ſummi Sacerdotis Heli.

Primum Filios eius Ophni, & Phinees eadem die morituros eſſe; *Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filijs Ophni, & Phinees: in die vno morientur ambo:* quod paulò poſt ſucceſſit viuente Heli. etenim arcam Dei ferentes in bello occiſi ſunt. ibidem cap.4. *Et arca Dei capta eſt, duo quoque filij Heli mortui ſunt, Ophni, & Phinees.*

Alterum, pleroſque ex eius domo, cum perueniſſent ad virilem ætatem, caſuros eſſe; *Et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit:* quod cõpletum eſt, cum Saul occidẽdos iuſſit coram ſe octuaginta quinque Sacerdotes, & tunc omnes incolæ ciuitatis Nobe occiſi ſunt. ibidem cap. 22. *Conuerſuſque*

Doeg

Doeg Idumeus irruit in Sacerdotes. & trucidauit in die illa octuaginta quinque viros veſtitos Ephod lineo. Nobe autem Ciuitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladij viros, & mulieres, &c.

Tertium, Domum eius ſummo Sacerdotio priuandam: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua*, id eſt ſummus Sacerdos. Quod euenit, cum Abiathar ſacerdotij dignitate à Salomone priuatus fuit: poſt ipſum enim nullus fuit Sacerdos in Domo Heli. Quæ cum ita ſint; quis non agnoſcit ea, quæ ſemel, aut iterum diuina voluntate ſic annuente commiſſa ſunt, in legem deducẽda non eſſe? Huc pertinet Hieronymi dictum ſuper Ionam, c.1. videlicet Priuilegia ſingulorum non poſſunt facere legẽ cõem diſt.1 c o.c.contra morem. verſ.quod ſi hoc. Oper.to.6.

Tertia Concluſio. Accedente conſenſu Clerici etiã cum iureiurando cum non poteſt laicus Iudex, vel in ciuilibus iudicare.

Hæc eſt expreſſe Innocentij Tertij, qui reſcribens ad Piſanum Archiepiſcopum (vt habetur tt.2. de foro competenti, cap. Si Diligenti) Decernit Clericos nec vi, nec ſponte laicorum Tribunalia adire poſſe, etiam in rebus ciuilibus, ſi quidem beneficium non eſt perſonale, ſed toti collegio Eccleſiaſtico elargitum, cui priuatorum pacto derogari non poteſt, neque ius iurandum ſeruari debere, quod eſt cõtra bonos mores, vim legum, & authoritatẽ iuris pro re turpi, illicita, & iniuſt. nullius eſt momenti, ff.de legatis primo.Si quis inquilinus, §.Si quis.argum. cap.finale de pactis, & cap. primo de re iud. Ioan.Baeco. in 4.ſent.diſt.25. qu.14. artic.5. Angel. verb.Iuramentum 3.num.4. Sylueſter verb.eodem 2.quæſt.4. Summa Corona part.3. tract. de iuram. n.15. & quia iuramentũ non debet eſſe vinculum iniquitatis 2.2.qu.4.Inter cætera.

Poteſt

Poteſt autem ſupradicta concluſio formaliter ſic comprobari.

Clericorum pactiones, & iuramenta non tenent, quibus ſuo Epiſcopo præiudicatur, atqui ſi Clericus etiàm in ciuilibus iuri ſuo renunciaret, & ſibi laicum iudicem, vel iureiurando conſtitueret, inferret iniuriam Epiſcopo ſuo, ſine cuius conſenſu iurare non poteſt, nec alium iudicem habere, 11.quæſt.1.Clericum & 3.quæſt.6.Non liceat:ergo non poteſt talem ſibi iudicem conſtituere.

Præterea. Iuri, quod in fauorem quorundam pro eorum publica vtilitate, & odium aliorum eſt introductū,renunciari non poteſt:ſed talis Immunitatis ius eſt introductum in Clericorum fauorem,& odium laicorum, qui Clericis oppidò ſunt infeſti, 2.quæſt.7. laicos, & cap. laici: ergo Clerici illi renunciare non poſſunt.

Quarta Concluſio. Laici vi cuiuſcumque conſuetudinis ius, & poteſtatem in Clericos habere non poſſunt. Hanc à Doctoribus communiter receptam eſse teſtatur Vaſquius de ſucceſſionū creatione lib.3.§.22. limit.17.num.67. ac ſpeciatìm docent Bald.in c.Clerici ad fin.de Iud. Butr.ibidem num.2.& 11. Panorm. num.5.& 6. Dec.num.58.& in c.2.eiuſd.tit.num.167 & conſ.150.num.4. Alex.conſ.149.lib.6.num.10. & conſ.8.lib.1. Feli.in c.2.ſub num.3.de maior.& obed. Rota deciſ.10.de conſuet.in antiquis,aliàs 839. & Biſign.deciſ.2.eod.tit.

Conc.to.4 Probatur primū ex Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo ſeſs.10.Ibi enim Concilium attendens laicis in Clericos, & perſonas, ac bona Eccleſiaſtica tributam facultatem non eſſe, atquè tam Apoſtolicę Sedis honori, quàm perſonarum Eccleſiaſticarum quieto, &proſpero ſtatui temeritate eorum, qui ſibi tri-

buunt,

buunt, quæ ſui iuris non ſunt, non ſine damnāda pernicie derogari, innouatis omnibus, & ſingulis conſtitutionibus, quæ contra efficientes ſtatuta eccleſiaſticæ libertati obnoxia, atq; ad ea auxilium, conſilium, vel fauorem pręſtātes hactenus emanauerant, his demum verbis rem totā perſtringit. Et cum ea nedum iuri contraria, ſed etiam eccleſiaſticæ libertati opprobrioſa ſint quamplùrimùm, & aduerſa; vt de officio nobis credito dignam Deo, poſſimus reddere rationem, affectibus, & monitis paternis Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quoſcunque alios alterius cuiuſcumque nobilitatis, pręeminentiæ, potentiæ, ſeu poteſtatis, excellentiæ, vel dignitatis exiſtentes attentè hortamur in Domino, eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, vt ipſi conſtitutiones prædictas obſeruent, & faciant à ſuis etiam ſubiectis inuiolabiliter obſeruari. Quacumque conſuetudine contraria non obſtante, ſi diuinam offenſam, & ſedis Apoſtolicæ debitam vitare voluerint vltionem.

Secundò ex Lucio tertio Rom. Pontifice ad Strigonenſem Archiepiſcopum c. Clerici, de Iud. cuius verba hæc ſunt. Cum Imperator dicat, quod leges non dedignātur ſacros canones imitari, in quibus generaliter traditur, vt de omni crimine Clericus debeat coram eccleſiaſtico Iudice conueniri; non debet in hac parte canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari. Vbi rectè aduertunt Panor. nu. 6. & Dec. num. 58. quòd de cauſis criminalibus dicitur, ex Doctorum ſententia, etiā in ciuilibus habere locū.

Prætereà ex Honorio Tertio ait Epiſcopum Bononienſem, qui anathemati ſubijcit, quicumque huiuſmodi conſuetudinem ſeruari curauerint. cap. Nouerit, de ſent. excomm. Excommunicamus (inquit)

omnes hæreticos vtriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, fautores, & receptatores eorum; nec non, & qui de cætero ſeruari fecerint ſtatuta edita; & conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem; niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt huiuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoueri.

Quartò ex Bulla, quæ die Cænę Domini ſingulis annis legi conſueuit, quia cautum eſt non obſtare cõſuetudines etiàm immemorabiles, ac præſcriptiones quantumcumquè longiſſimas; Quæ vna, ſi aliud non haberemus, ſatis eſſet ad inſtitutum probandum; quis enim non videt tot Summos Pontifices ea mente fuiſſe, vt nefariam omnem conſuetudinem abolerent?

Quintò ex c. Qualiter, & Quando de Iud. vbi Innocentius Tertius omninò prohibet, ne Clerici trahãtur à laicis ad ſeculare iudicium: quo modo loquẽdi ſublata eſt inferioribus facultas omnis diſpenſandi, ſiue per ſtatutum, ſiue per conſuetudinem. Prep. in cap. ſi quis cum Clerico. 11. q. 5. Felin. in eod. cap. Qualiter prope fin. Alex. conſ. 8. ſub nu. 1.

Poſtremò cum talis conſuetudo ſit cõtra id, quod ex iure, vel priuilegio Clericis datum eſt, ſiue à Deo, vt in quarta Diſputatione videbitur, ſiue à Summis Pontificibus, & Imperatoribus, vt ſupra oſtendimus; etiàm erit cõtra eccleſiaſticam libertatem: notat hoc ſpeciatim Bald. in c. Clerici, in C. de Iud. Butr. nu. 11. Panor. nu. 6. Bart. & Bald. in conſtitut. Frider. caſſa, & irrita. C. de ſacroſ. eccl. & colligitur ex doctrina Innocent. in d. c. Nouerit, de ſent. excomm. quem omnes ibi ſequuntur.

Ex his perſpicuum eſt laicos vi cuiuſque conſuetudinis nullam in Clericos poteſtatem habere poſſe.

Nec valet, quod afferri ſolet, conſuetudinem ſcilicet longiſſimi temporis decurſu firmatam priuilegij vim habere, & ei æquiparari l. hoc iure verſ. ductus aquæ ff. de aqua quotidiana, & æſtiua: nam in duobus caſibus plus priuilegium poſſe, quàm conſuetudinē, etiam tandiù continuatam, vt initij memoria non extet, tradunt Doctores. Vnus eſt; vbi aliquis nō eſt capax poteſtatis, & iuris Io. And. & Dominic. in c. 2. de præb. in 6. Innoc. cap. 1. de Apoſta. Ant. in repetit. capit. peruenit de cenſibus. Abb. in capit. ſuper qui buſdam de verbor. ſigdif. & in cap. nouit de Iudic. & in cap. quanto de conſuet. Bal. in l. ſi ſolemnibus C. de fide Inſtrum. & in cap. cum contingat de foro comp. Fel. in cap. dilecto de præb. Alter caſus eſt, cum à iure ſcripto improbatur cōſuetudo cap. cum ſatis de off. Archid. Io. And. in cap. 1. de Clerico ægrotante in 6. quare cū eā apertè damnetur, vt viſum eſt, non poterit in huiuſmodi re locum priuilegij obtinere.

Verùm obijcitur. Sūmus Pontif. ſcit alicubi vigere huiuſmodi conſuetudinem, & tolerat; ergo tacitè illi aſſentit: quarè ſaltèm in hoc caſu Magiſtratus, & Iudices ciuiles poſſunt Clericorum cauſas iure cognoſcere, & definire.

Reſpondeo negatione antecedentis; primùm quia certum nón eſt ſcire Summos Pontifices, quæcūque à Magiſtratibus laicis in toto Chriſtiano orbe agantur.

Deinde, quia cum reſciuerint, de his iniurijs ſępiſſimè cum Principibus cōqueſti ſunt, & quotidie reclamant, prohibēt, ac ſententias ferunt in laicos, qui hāc ſibi iuriſdictionem vſurpant. Præterea, cum quotannis die Cœnę Dominicę publicè excommunicent, & anathematizēt Magiſtratus, & Iudices ſeculares, qui ad ſua tribunalia perſonas Eccleſiaſticas trahunt, vel

trahi faciunt, vel procurãt directè, vel indirectè quouis quęſito colore; nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu Romanę Sedis, ac quarumcumquè Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur: perſuaſiſſimum cuique eſſe debet Summos Pontifices, hanc conſuetudinem, quàm corruptelam vocant, æquo animo non perferre, & conſequenter neque expreſsè, nec tacitè aſſentiri.

Quinta Cõcluſio. Clerici tenentur obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ ſpectant ad regimen Ciuitatis, & ſacris Canonibus, atquè Clericali officio non repugnant Vi rationis, ſed nõ Vi legis. Hæc communiter recepta eſt; ita enim Ang. verb. lex num. 5. circa medium. Sylu. verb. cod. q. 15. Io. Driedo de liber. chriſtiana c. 2. par. 3. Soto lib. de iuſt. & iure, q. 6. art. 7. concl. 1. in fine, & 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. concluſ. 4. Alphonſus à Caſtro lib. 1. de poteſt. legis pęnal. cap. vlt. Franc. à Victoria in Relect. 1. de poteſt. Eccleſ. q. vlt. Nauar. in Manuali cap. 23. nu. 88. Barth. Medina 1. 2. q. 96. art. 5. dubit. vlt. Ioſeph Angles in floribus quarti ſent. de ſacram. ordinis in fin. Bellarm. to. 2. controuer. de Clericis lib. 1. cap. 28. concl. 2. Greg. de Valentia to. 4. Diſput. 9. q. 5. punct. 4. Michael Salon in 2. 2. to. 2. q. 77. ar. 1. controu. 10. Coſmus Philiarchus de officio ſacerd. par. 1. lib. 3. c. 2. concl. 6. Emanuel Rodriquez to. 1. cap. 196. concl. 1.

Vt autem hęc concl. rectè percipiatur tria prænoto:

Primum. Hic per leges ciuiles intelligi, quæ iiſ actionibus temporalibus dirigunt actiones humanas, quales ſunt, quibus à Principe rebus venalibus pretiũ conſtituitur, ſeu decernitur, vt extra Prouinciam frumentum, vel oleum non àſportetur, noctu cum armis, aut ſine lumine incedatur, & his ſimiles, quæ pro bona Reipublicæ adminiſtratione ſanciri ſolent.

Alterum. Leges huiuſmodi conſiderari poſſe dupliciter, vel, quatenùs Imperatorias, aut Regias, ſiue quălibet poteſtate laica editas, & confirmatas; vel quatenus in ſe aliqua habent, quæ Iure diuino, & canonico præcipiuntur: Iuxta priorem modum Perſonę Eccleſiaſticæ laicorũ ſtatutis non obligantur, quoniam eorum iuriſdictioni non ſubſtant, neque Principes poſſunt condere leges, niſi in ſubditos, cum hoc ad iuriſdictionem pertineat. Bal. in l. Nulli. C. de ſentent. & interloc. & illæ vim habeant, præcipuè à latore, cui ſit eiuſmodi poteſtas & authoritas l. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. Abb. in c. Eccleſia S. Mariæ num. 10. de conſtit. Doctores omnes in c. Vt animarum de conſti. in 6. ſed iuxta poſteriorem obligantur ad obſeruationem in foro conſcientiæ. Vnde Clericus violans legem ciuilem vendendo carius, quàm lege cõſtitutum ſit, peccat, & ad reſtitutionem tenetur: Cauſa hæc eſt, quia ratio naturalis, quæ eſt ipſum Ius naturale diuinum dictat illud eſſe honeſtum preçium; quod qui excedit, peccat, & fit reus furti. Hoc eſt quod dicitur in concluſione Vi Rationis; ſed non legis.

Tertium. Si Clericus huiuſmodi legibus non obediat, non apud laicum iudicem accuſandum eſſe, ſed apud ſuum Prælatum, cuius eſt in eũ animaduertere.

His prælibatis; quod Clerici politicis legibus parere debeant probatur primò ex Symaco Sum. Pontifice

Decret. Epiſto. tom. 1. poſt 5. epiſ. tifice in Apologetico ad Anaſtaſiũ Imperatorem: fortaſſe dicturus es ſcriptum eſſe omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere: nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus; donec contra Deum ſuas non erigãt voluntates.

Decret. Ep. to. 3. Diſ. 10. ca. Quoniam idem. Idem teſtatur Nicolaus I. qui in Epiſ. 8. ad Michaelem Græcorũ Imperatorem inquit. Quoniam idẽ Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriſque (ſ. i. Pontificiæ, & Imperialis) diſcreuit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in infima demergi, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro curſu temporalium tantummodò rerum imperialibus legibus vterẽtur, quatenus ſpiritualis actio carnalibus diſtaret incurſibus.

Oper. to. 2. Secundò ex Imperatore Valentiniano in Epiſt. ad Epiſcopos Aſiæ; qui (vt refert Teodoretus lib. 4. ca. 7. hiſt. & Illuſtriſs. Bellarminus Contro. to. 1. de Clericis lib. 1. cap. 28. propo. 2.) ait probós Epiſcopos nõ ſolum Dei, ſed etiam Regum legibus obtemperare.

Ibidem. Tertiò ex Patribus; etenim Theodoretus in Epiſ. ad Rom. cap. 13. inquit ſiuè eſt Sacerdos aliquis, ſiuè Antiſtes, ſiuè monaſticam vitam profeſſus ijs cedat, quibus ſunt mandati Magiſtratus: Clarum eſt autem ſi cum pietate: non .n. ſi Dei præceptis repugnent, Magiſtratibus parere permittitur.

Idem videntur ſignificaſſe Chryſoſtomus, & Theophylactus in eiuſdẽ loci explicatione: ſed eos ad quartam diſputationem reſeruo.

Probatur vltimò Ratione. Clerici præterquã quod ſunt miniſtri Eccleſiæ, ſunt etiam ciues eius politicæ Reipublicæ, in qua degunt; ergo ijſdem politicis legibus viuere debent.

Et confirmatur: Quia ſi Clerici eas non obſeruarent, magna perturbatio in Repub. oriretur, nec non in Sacerdotij crimen talis inobedientia vergeret: Laici enim, quos probo Clericorum exemplo ad iuſtæ legi obtemperationem æquum eſt promoueri, maximè offenderentur, ſi eas à Dei Miniſtris deſpici intelligerent.

Quod autem Vi Rationis, non Legis ſtatutis ciuilibus obligētur, ex his, quæ ſupra animaduertimus, perſpicuum eſt: & adnotāt Grazias trac. de vltimo fine 13. illatio. num 158. & 160. Purpurat. Conſil. 335. num. 2. & 3. Vaſquius de ſucceſſionum creatione leg. 1. §. 10. num. 651. Bald. l. nemo. C. de ſent. & interloq.

Ex his in vniuerſum colligitur Clericos à Laicorū poteſtate ſic eſſe exemptos, vt à Iudice laico quodcumque ob crimen, neque in ciuilibus cauſis, etiamſi eorumdem conſenſus accedat, poſſint, ac debeant iudicari.

AN ECCLESIASTICAE *Facultates, & bona ſint à Principum legibus, & poteſtate immunia.*

DISPVTATIO TERTIA.

QVID de Perſonarum, quæ Dei cultui deputantur, Immunitate ſentiendum ſit, in ſuperioribus diſputationibus ſatis ſuperquè explicatum fuiſſe arbitror. Sequitur, vt Eccleſiaſticã bona, & facultates hoc ipſo Priuilegio frui eodem ordine demonſtremus.

Et quoniam ad catholicos oratio noſtra dirigitur, nihil eſt, quod elaborem cõtra Ioannem Vuicleffum, Con.to.3 quem (vt refert Gabriel Pratcolus de Hereticis lib. 1. num.20.) Concilium Conſtantienſe hæreticũ iudicauit: ipſe .n. inter cæteros errores aſſeuerabat non licere Clericis vllas habere poſſeſſiones, & peccaſſe, tàm qui eas donauerunt Eccleſiæ, quàm qui accepere. Cõ- Oper.to.1. tra quem luculenter ſcripſit Thomas Vualdenſis de Doctrina fidei lib. 4. arti. 3. & Illuſtriſs. Bellarminus Controu.to.1.de Clericis lib.1.cap.26.

Ante propoſitæ difficultatis determinationem duo animaduerto. Vnum valde errare qui putant cæpiſſe Eccleſiam poſſeſſiones habere, poſteaquàm Cõſtantinus Imperator Chriſti fide ſuſcepta ſingulari largitione Romanam ditauit Eccleſiam. Pro cuius rei vberiori explicatione paulò altius exordiar.

Quicunque ſub Eccleſiæ naſcentis exordijs Chriſtianam Religionẽ profitebantur, bonis venditis precium ad Apoſtolos deferebant; ex quo cùm ipſis communem cum cœteris vitam degentibus ſubueniretur,

tùm

tùm pauperes omnes diuerſis calamitatib. preſſi ſubleuarentur: ità Act. c. 2. *Omnes etiam, qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat:* & ibidem c. 5. Quia Ananias, & Saphira vendito agro non totam, ſed partem pecuniæ ad Apoſtolos cum mendacio detulerunt, repentina morte ſublati ſunt.

3 Sed cum paulatim amplioribus ſpatijs fides propagaretur, ſicuti Chriſtianorum numerus; ita largitiones fidelium adeò auctæ ſunt, vt ex his non tantũ Clericis victus ſuppeditaretur, & ſuccurreretur egẽtibus; ſed & precioſiſſima Eccleſiæ ſuppellectilia ex ijſdem acquirerentur. Etenim qualia eſſent coetera vaſa, quę ad ſacrificij opus ad Altare admouebantur; inde ſatis colligitur, quod etiam Lucernæ erant argenteæ; vt ex actis proconſularibus apud Auguſtinum Epiſt. 165. Oper.to.2. legitur de Dyocletiani temporibus, quibus Eccleſiã abundaſſe vaſis aureis, & argenteis tradit idem contra Creſconium lib. 3. c. 9. & Optatus Mileuitanus aduerſus Parmenianum lib. 1. & refert Illuſtriſſimus Baronius Annal. to. 1. ann. Chriſti 67. de Bonis Eccleſiæ: Oper.to.7. Atque non argento ſolũ, ſed & auro offerre Romanos Pontifices incruentum ſacrificium conſueuiſſe Prudentius in ſacro Hym. ad S. Laurentium cõmemorat.

Quod autem Eccleſia bonis ditari cæperit, illud in cauſa fuit: cum enim Epiſcopi, qui Apoſtolis ſucceſſere, vtilius fore animaduerterent, ſi oblata bona conſeruarentur, & ex eorum redditibus, tùm ipſi, tùm cæteri, qui egerent, victitarent; eoquè magis, quia interdum pretio conſumpto in ſummam rerum omnium egeſtatem deueniebant, ſtatutum fuit ne venderentur; ſed ad predictum vſum matricibus Eccleſijs traderentur, eorumquè diſpenſatio ad Epiſcopos pertineret.

Dceret. Epiſto. tom. 1. Videntes.

Quod ita eſſe teſtatur Vrbanus Primus in Epiſtola ad omnes Epiſcopos his verbis. Videntes ergo ſacerdotes ſummi, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis poſſe afferre, ſi hęreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent; & quod ex ſumptibus eorum tàm præſentibus, quàm futuris temporibus plurima, & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus communem fidem ducentibus, quàm ex pretio eorum: cœperunt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, Matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere.

Et Sanctus Proſper Rhegij Flaminiæ Epiſcopus, natione Aquitanus, vir ſanè eruditus, quem ſub Leone Magno Auguſto, anno Domini 460. clarùiſſe tradit Antonius Poſſeuinus ſacri Appar. tom. 3. poſſe, & expedire Eccleſię facultates habere probat de vita cõtemplatiua lib. 2. cap. 9. duobus exemplis veterum virorum, ac doctrina, & ſanctitate illuſtrium Hilarij Pictauienſis, & Paulini Nolani Epiſcopi, quorum vnum circiter annum 371. alterum 420. obijſſe refert Ioan. Tritemius de Scriptoribus eccleſiaſticis. Hi etenim licet bona ſua pauperibus erogaſſent, tamen cum Epiſcopi creati ſunt, eccleſiaſticas facultates poſſidere nõ recuſarunt. Proſperi verba, quibus hanc rem eleganter inſinuat, & referuntur à Gratiano 12. q. 1. c. Expedit, hæc ſunt. Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ ſunt, ſed cõmunes Eccleſię facultates, & ideò quiſquis omnibus quę habuit dimiſſis, aut venditis fit rei ſuæ contemptor, cum præpoſitus fuerit factus eccleſiæ, omnium, quæ habet eccleſia efficitur diſpenſator. Sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt ſua, vendita pauperibus erogauit; ſed cum factus eſſet Epiſcopus, non cõtempſit Eccleſiæ facultates, ſed

Oper. to. 2.

fideliſſimè

fideliſſimè diſpenſauit. Quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni,& ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates,quæ ſunt profectò cõmunes poſſideri. Quid Sanctus Hilarius? nonne & ipſe omnia bona ſua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cum merito perfectionis ſuæ fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quæ illa tunc habebat Eccleſia, non ſolum poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus ampliauit. Iſti ergo tàm ſancti, tàm perfecti Pontifices factis euidenter clamãt poſſe,& debere fieri, quod fecerunt: Qui vtique homines tàm ſecularium, quàm diuinarum rerum ſine ambiguitate doctiſſimi, ſi ſcirent res Eccleſiæ debere contemni, nunquàm eas debuerant, qui omnia ſua reliquerant, retinere.

Verùm, quod Chriſtianorum Eccleſiæ olim ſub Ethnicis Imperatoribus poſſeſſiones habuerint; præter recitatum Vrbani teſtimonium ante ipſum Pius Primus (quem anno Domini 154. Pontificatum geſſiſſe tradit Alphonſus Ciaconius in eius vita, & geſtis) ſatis apertè fidem facit in Epiſt.2.ad Italos, cuius verba infra recitabuntur.

Quapropter, cum inter Vrbanum, & Conſtantinum, circiter octuaginta anni interſint (ille enim anno Domini 227. Pontifex Maximus renunciatus, hic vero circa annum 312.ampliſſimam Imperij dignitatem adeptus eſt) atque Pius plus quinquaginta annos Vrbanum præceſſerit, perſpicuum eſt, quamdiù ante Conſtantinum Agros, & ex ijs redditus Eccleſia cæperit poſſidere.

Præter hæc Illuſtriſſimus Baronius loco citato aduertit etiam ipſa Imperatorum edicta, quibus ablatas poſſeſſiones Eccleſijs reddi mãdarunt, manifeſtiſſimè

declarare eas ante Conſtantinum prædia habuiſſe; in cuius rei probationem refert edictum Conſtantini, & Licinij; quod apud ipſum videre eſt.

Quod ſecundo loco animaduerto, illud eſt; Etſi in primordijs ſurgẽtis Eccleſiæ omnia inter fideles communia eſſent; tamen cum eorum numerus mirum in modum coagmentaretur, datum fuiſſe, vt vnuſquiſq; ſuas apud ſe facultates haberet, Sacerdotibus, alijſq; Eccleſiæ miniſtris aliquo temporis ſpatio cõmunem vitam degentibus: verùm numero eorum creſcente cum Romani Pontifices agnoſcerent Paupertatis votum non eſſe Ordini clericali annexum, licere exiſtimarunt bona Eccleſiæ diſtribuere, & ſingulis ſuã portionem addicere. Quam rem etiam D. Auguſtinus teſtatus eſt in ſerm. 52. ad fratres in Eremo his verbis, Qui volunt habere aliquid proprium; quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia, maneant, vbi volunt, & vbi poſſunt, non eis aufero Clericatum; Nolo habere hypocritas.

Ope. to. 10

11. q. 1. c. Certè.

Hæc bonorum partitio fieri cœpta eſt circiter annum 470. circa D. Hieronymi, & Auguſtini tẽpora, regimini vniuerſalis Eccleſiæ præſidente Simplicio, qui ea in quatuor partes diuidẽda eſſe iudicauit: quarum vna daretur Epiſcopo, Clero altera, tertia fabricæ, ac neceſſitati eccleſię, quarta pauperibus: ſic enim in Epiſtol. 2. ad Florentium Equitium, & Seuerum Epiſcopos teſtatur, dum inquit, De redditibus Eccleſiæ, vel oblatione fidelium, quid deceat, neſcienti; nihil licere permittat, ſed ſola ei (loquitur de Gaudentio Auſinienſi Epiſcopo) ex his vna portio remittatur, duæ eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ à Bonagro Præsbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur, vltima inter ſe Clericis pro ſingulorum meritis diuidatur.

Decr. epiſt. to. 1.

Et poſt

Et poſt ipſum Gelaſius Primus Epiſt.6. ad vniuerſos Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam cõſtitutos; Quatuor (inquit) tàm de redditu, quàm de oblatione fidelium prout cuiuslibet eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretũ, conuenit fieri portiones; quarum ſit vna Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia; quarta fabricis applicanda. Plura videri poſſunt apud Grat. 12.q.2.c.Vobis, & c.cõceſſo, & 16.q.1.c.conſtitutum, & c. ad hoc. Ibidem. 12.q.2.c. Quattuor.

Sed quoniam laici falsò queri ſolent de Eccleſiaſticis, quaſi ex profuſiſſimis (vt dicunt) ſimplicium largitionibus eccleſiarũm cenſus nimium creuerint; audiant quæſo Concilij Pariſienſis ſub Ludouico & Lothario Imperatoribus celebrati verè aurea verba, quæ ſi quiſq; animo ſecum reuoluens diligenter perpenderet, ceſſarent profectò tàm iniuſtæ, tàm indignæ querelæ. Ita enim lib. 1. capit. 18. traditum eſt. Conc.to.3
Ceſſet ergo ambitio quæ dicere ſolet, Nimis rerum habere eccleſias Chriſti, & perpendat; quia quantæcunque ſint res eccleſiæ, ſi eo modo, quo diſpenſandæ ſunt, diſpenſentur, nimiæ non ſunt: & paulo poſt: Mira namque res; ambitio mundialis ſatis non habet & eccleſia Chriſti nimium habet?

His animaduerſis duæ ſtatuuntur Concluſiones. Prior ſit. Bona, & facultates, quas Eccleſia & perſonæ eccleſiaſticæ poſſidẽt à laicorum omnium, etiam Principum poteſtate, ac legibus exemptæ ſunt.

Probatur primùm ex Concilijs. Etenim in tertia Synodo Romana ſub Symacho habentur hæc verba; A laicis, quamuis religioſis, nulla de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur vmquam attributa facultas. Conc.to.2.

Et in Aquiſgranenſi lib. 2. cap. 3. ſub Pipino Rege. Quod verò Deo oblata, quę vtiq; ſancta vocantur, ab Conc.to.3

his, quibus officium non eſt, auferri, imò contingi fas non ſit, verba Iudith loquentis ad Holofernem paten-
Iudith. 11. ter innuunt, quę ita inquit. *Denique hi ordinant, vt interficiant pecora ſua, & ſanguinem eorum bibant, & Sancta Domini Dei ſui, quæ præcepit Deus non contingi in frumento, vino, & oleo hæc cogitauerunt impendere, & volunt conſumere, quæ nec manibus debebant contingere. Ergò quoniam hæc faciunt, certum eſt, quod in perditionem dabuntur.*

Conc. to. 3 Et in Meldenſi cap. 18. ſub Carolo Iuniore Gallorum Rege decretum eſt. Vt præcepta illicita iure beneficiario de rebus eccleſiaſticis facta ſine dilatione reſcindantur; & vt de cætero ne fiant à dignitate nominis regij caueatur.

Conc. to. 3 Et cap. 19. Vt ab Eccleſijs veſtræ ditioni ſubiectis (verba referuntur ad Regem) indebitas conſuetudines, & iniuſtas exactiones de cætero nõ exactetis; ſed ità eas cõſeruetis, ſicut ordo docet canonicus, & tempore Aui, & Patris veſtri conſeruata fuerunt.

In Lateranẽſi ſub Alexandro III. par. 1. cap. 19. Non minus pro peccato eorũm, qui faciunt, quàm pro illorum detrimento, qui ſuſtinent, graue nimis eſſe dinoſcitur; quod in diuerſis partibus Mũdi Rectores, & Conſules Ciuitatum; nec non, & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot Eccleſijs frequenter onera impo nũt, & ità grauibus eas, crebriſquè exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs ſeruituti ſubiectis Sacerdotes ſuos, & eorũ poſſeſſiones in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit. Iſti verò vniuerſa ferè onera ſua imponũt Eccleſijs, & tot angarijs eas affligunt; vt illud eis quod Hieremias deplorat, cõpetere videatur.
Thr. 1. *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Et poſt pauca.

Quo

Quo circa ſub anathematis diſtrictione ſeuerius prohibemus, ne de cœtero talia pręſumant attentare.

Et in Lateranenſi ſub Innocentio 3. cap. 44. Cum Laicis, quamuis Religioſis diſponendi de rebus Eccleſiaſticis nulla ſit attributa poteſtas, quos ſubſequẽdi manet neceſſitas, non authoritas imperandi; dolemus ſic in quibuſdam ex illis refrigeſcere charitatem; quod immunitatem eccleſiaſticæ libertatis, quam nedum Sancti Patres, ſed etiam Principes ſeculares multis priuilegijs munierunt, non formidant ſuis conſtitutionibus, vel potius confictionibus impugnare. Et paulò poſt. Conc. to. 3

Volentes igitur ſuper his Eccleſiarum indemnitati conſulere, ac tantis grauaminibus prouidere, Conſtitutiones huiuſmodi, & vendicationes feudorum, ſeu aliorum bonorum eccleſiaſticorum ſine legitimo Eccleſiaſticarũ perſonarum aſſenſu pręſumptas, occaſione conſtitutionis laicæ poteſtatis (cum non Conſtitutio, ſed diſtitutio, vel deſtructio dici poſſit, nec nõ vſurpatio iuriſdictionum) ſacri approbatione Cõcilij decernimus non tenere; præſumptoribus per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendis.

Et cap. 46. Aduerſus Conſules, ac Rectores Ciuitatum, & alios, qui Eccleſias, & viros eccleſiaſticos tallijs, ſeu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nitũtur, Volens immunitati Eccleſiaſticę Lateranẽſe Concilium prouidere, præſumptionẽ huiuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit, tranſgreſſores, & fautores eorum excommunicationi præcipiens ſubiacere, donec ſatisfactionem impendant competentem.

Et in Concilio Conſtantienſi in Conſtitutionum Imperatoriarum confirmatione, ſupradictæ Eccleſiaſticorum immunitates repetuntur, & confirmantur. Conc. to. 3

In Lateranenſi ſub Leone X. ſeſ. 9. De Reformatio- Conc. to. 3

ne

ne Curiæ,& aliorum, habetur. Et cum in Lateranenſi pariter, ac Concilijs generalibus ſub excommunicationis pœna prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ,& alij Potentatus quicunque, &c. collectas, decimas,& alia huiuſmodi onera Clericis, &c. imponant, exigantq; neuè à ſponte etiam dantibus, & conſentientibus recipiāt, atque in præmiſſis auxilium, fauorem, conſiliumuè palàm, vel occultè præſtantes in excommunicationis latæ ſentētiæ pœnam eo ipſo incidant, & ipſe quoque Reſpublicæ, ac Communitates, & Vniuerſitates circa hoc quomodolibet delinquētes, Eccleſiaſtico eo ipſo ſubijciātur interdicto,&c. ſtatuimus,& ordinamus, vt de cœtero talia præſumentes,etiamſi,vt præfertur, qualificati fuerint, vltra ſupradictas pœnas,quas contraueniendo eo ipſo incurrere volumus, innouamus, quod ad omnes actus legitimos inhabiles, & inteſtabiles habeantur.

Conc. to. 4 Et Tridentina Synodus ſeſſ. 25. De Reformatione cap. 20. decernit, & præcipit ſacros Canones,& Concilia generalia omnia, nec non alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti decreto innouat exactè, ab omnibus obſeruari debere.

12. q. 2. ca. Nulli liceat. Probatur ſecundò Decretis Summorum Pontificum, & primò Bonifacij. Nulli liceat ignorare, quod Domino cōſecratur, ſiuè fuerit homo, ſiuè animal, ſiuè ager, vel quicquid ſemel fuerit conſecratum ſanctū ſancto erit Domino,& ad ius pertinet Sacerdotū: propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui, quæ à Domino, & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat,& inuadit, vel er igit.

Epi. Decre. tom. 2. Gregorius Magnus epiſt. 64. ad Hilarium Notariū,

Nauem,

Nauem, inquit, in qua Vitalis præſentium portitor nauigat, ad dilectiſſimam filiã noſtram Adeodatam Abbatiſſam pro ſuſtentatione Monaſterij ſui, emiſſam, cognoſcas. Qua illuc veniente hac tibi authoritate præcipimus, vt itá eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria, vel onere exuere, excuſareq; feſtines, ac ſi ſpecialiter noſtra ſit. Nam noſtri cauſa in eodem Monaſterio tãta congregatio Deo propitio degere comprobatur, vt plus illi ſolatiari, atque cõcurrere, quàm noſtræ in omnibus, feſtinemus Eccleſiæ.

Gregorius VII. Quicunque, ait, militum, vel cuiuſcunque Ordinis, vel profeſſionis perſona prædia Eccleſiaſtica à quocunque Rege, ſeu ſeculari Principe, vel ab Epiſcopis inuitis, ſeu Abbatibus, vel aliquibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſceperit, vel inuaſerit, vel de Rectorum deprauato, ſeu vitioſo cõſenſu tenuerit: niſi eadem prędia Eccleſijs reſtituerit, excommunicationi ſubiaceat. Ep. Decret. to. 3. 12. qu. 2. c. Quicumq; militum.

Innocentius III. Abbati, & Conuentui Sancti Syluestri ſcribens, decernit etiam decreta laicorum in Eccleſiarum fauorem edita, quia earum adminiſtratio ad eos non pertinet, nullius roboris eſſe. De conſtit. tit. 2. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ.

Nos, ait, attendentes quod Laicis etiam religioſis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, nõ authoritas imperandi, à quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodũ, & fauorem nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Quod à Senatore factum fuerat in prejudicium Monaſterij non couenti, nec cofeſſi, vel conuicti in irritum reuocantes eaſdem poſſeſſiones reſtituendas ſibi ſententialiter definimus.

Quod verò ſanctiones etiam in Eccleſiarum vtili-

tatem à laicis promulgatæ, ſint nullæ, inde præſertim oſtēditur, quod ſtatutum Baſilij de nō alienandis (vt inquit) prædijs ruſticis, vel vrbanis miniſterijs, & ornamentis Eccleſiarum, illa reprobatum fuit potiſſima ratione, quod authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum hoc autem decretū eſt in Concilio 3. Romano ſub Symacho aliàs citato.

Conc. to. 2.

De immun. eccleſ. in 6. tit. 23 cap. Quia nonnulli.

Alexander IIII. Quia nonnulli habentes (inquit) tēporale dominium, vel poteſtatis gerentes officiū ſecularis, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam lædere, ac minuere, tamquam honoris, & priuilegij Eccleſiarum inuidi, moliuntur; & infra: Authoritate Apoſtolica, præhabita cum fratribus noſtris diligenti deliberatione decernimus non licere Communijs, Scabinis, & ijs, qui in eis iuriſdictionem temporalem obtinent, vel iuſtitiam temporalem exercent, talliā, vel collectas, ſeu exactiones quaſcunque Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædijs, vel quibuſcunque poſſeſſionibus ab eiſdem Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis legitimè hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis, etiamſi ipſę Eccleſiæ, vel Perſonę, vel res huiuſmodi ſint infra illorum diſtrictum, vel territorium conſtitutæ.

De cenſib. et exact. tit. 20. c. Quāquam pedagiorū in 6.

Huius Conſtit. meminit Bonifacius VIII. eamque reddidit firmiorem ſub his verbis. Quamquam Pedagiorum exactiones tàm iure canonico, quàm ciuili regulariter meritò ſint damnatæ; tātò tamen diſtrictius, ne ab Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur prohiberi oportet, quantò ſi id fiat, maioris inde tranſgreſſionis reatus incurritur; & offenſa euidentior comprobatur. Et paulò poſt.

Conſtitutionem Fœlicis Record. Alexandri Papæ IIII. qui ſtatuit Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas

ad pedagia, & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel ſoluendũ tallia pro rebus ſuis proprijs, quas non cauſa negociandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu tranſmittunt, Volentes propter multorum inſolentiam, & abuſum pœnę adminiculo adiuuare, adijcimus diſtrictius inhibendo (cõtraria conſuetudine quorumcunq; quæ dicenda eſt corruptela verius, non obſtante) vt nec Collegium, nec Vniuerſitas, nec aliqua etiam ſingularis perſona cuiuſcumque ſit dignitatis, & conditionis, aut ſtatus à præfatis Eccleſijs, aut perſonis pro perſonis ipſis, aut rebus prædictis tallia exigat, vel extorqueat per ſe, vel per alium ſuo nomine, vel etiam alieno, aut eos ad huiuſmodi ſoluenda compellat.

Tertiò Imperatorum ſanctionibus confirmatur. Et primò Conſtantini Magni; qui (vt extat lib. 1. C. de Epiſc. & Cler. l. 40.) Iuxta ſanctionẽ, inquit, quam dudum meruiſſe perhibemini, fundos, & mancipia veſtra nullus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis. 15. q. 1. ca. Generaliter.

Conſtantius, & Conſtans eccleſiam à tributo reddidere immunẽ hac lege, In qualibet Ciuitate, in quolibet oppido, vico, caſtello, municipio quicũque voto Chriſtianæ Religionis meritũ eximiæ, ſingularíſquè virtutis omnibus intimauerit ſecuritate perpetua potiatur. Vbi gloſſa circa verbum illud *ſecuritate*, ait, nunc inhibet tributum. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. 16. 23. q. 8. ca. In qualibet Ciuitate.

Gratianus quoque, Valentinianus, & Theodoſius decreuerunt, Vniuerſos, quos conſtiterit cuſtodes Eccleſiarum eſſe, vel ſanctorum locorum, ac religioſis obſequijs deſeruire, nullius attẽtationis moleſtiã ſuſtinere. Vbi Gloſſa verbum illud *Attentationis* explicat exactionis. Ibidem.

38 Honorius, & Theodoſius Melitio Præfecto Prætoriano

Ti. de ſacro ſanct. eccl. l. 5. toriano reſcribentes. Placet, inquiunt, rationabilis Concilij tenore perpenſo diſtricta moderatione præſcribere à quibus ſpecialiter neceſſitatibus ſingularũ
16. q. 1. ca. Generaliter. Vrbiũ Eccleſiæ habeantur immunes. Prima quippe illius vſurpationis cõtumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus cæleſtium ſecretorum dedicata ſordidorũ munerũ fęce vexentur. Et poſt pauca. Si quis contrauenerit, poſt debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos promenda eſt, exilio deportationis perpetuò ſubdatur.

23. q. 8. ca. In qualibet Ciuitate. Iuſtinianus, ſancimus, inquit, res ad venerabiles Eccleſias, &c. deſcendentes ex qualicunque curialis liberalitate, ſiuè inter viuos, ſiuè mortis cauſa, ſiuè in vltimis voluntatibus habita, à lucratiuorum inſcriptionibus liberas eſſe, & immunes. Gloſſa ad verbũ *lucratiuorum*, inquit, quibus quarta pars eorum quę à curialibus relinquebantur vendicabantur à fiſco.

Præter horum Imperatorum Conſtitutiones, extant Decreta, tùm Friderici Secundi, dum ſub Romanæ Eccleſiæ obedientia, ac deuotione perſiſteret, tùm piæ memoriæ Caroli Quarti; quibus ob temeritatem eorum, qui contra canonicas, & imperiales ſanctiones libertatem Eccleſiaſticam oppugnabant, ſtatuitur ſub varijs pœnis, vt nulla Communitas, vel perſona publica, vel priuata collectas, ſeu exactiones, angarias, vel perangarias Eccleſijs, vel alijs pijs locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere, ſeu inuadere Eccleſiaſtica bona præſumerent: atque ſtatuta, & contrariæ conſuetudines, tamquam per Canonicas ſanctiones expreſsè reprobatę; omnino damnantur, irritantur, & annullantur. Quæ quidem omnia, & plura fuſius habentur Conc. to. 4. pag. 247.

Huc vnius Regis teſtimonium accedat. Ludouicus .n. II. Magni Caroli ex filio Ludouico pronepos, &

Caroli Secũdi filius (vt Sigonius de Regn.Italiæ lib. 5. teſtatur) in auguſtali aula coràm Optimatibus Regni ità ſanciuit. Statuimus; vt Eccleſiæ in noſtro Regno cum ſuis rebus,& familijs ſint tutæ; prout Maiorum noſtrorum temporibus fuere, earumquè Rectores proprijs fruantur priuilegijs.

Probatur vltimò ratione:& primò. Cenſus ſiue tributum eſt ſignum ſubiectionis:Extra.de Cẽſ. vt notat Gloſſa ad cap.Tributum, 23.q. 8. & tradit D. Tho.in cap.8.epiſt. ad Rom.ad verba *Reddite ergo omnibus debita*. At Clerici laicis Principibus non ſubduntur; ergo non tenentur ei pendere Cenſum aut tributum.

Præterea. Quæcumque Deo conſecrata ſunt æquũ eſt,vt à Principũ exactionibus immunia ſint,ne Deus ipſe tributum reddere videatur: At eccleſiaſtica bona Deo ſacrata ſunt; Ergo à Principum exactionibus debent eſſe immunia.

Quod eccleſiaſtica bona Deo conſecrata eſſe dicantur; præterquamquod in canone Apoſtolorũ 39. inſinuatur cum appellãtur res Dominicę,teſtatur Aquiſgranenſe Concilium ſub Pipino Rege lib.3.c. 17. his verbis. Porrò Chriſtum, & Eccleſiam vnam perſonam eſſe nõ neſcimus,& ideò quæ eccleſiæ ſunt,Chriſti ſunt,& quæ Eccleſiæ auferuntur, Chriſto auferũtur; & quæ ab Eccleſiá eius tolluntur, proculdubio Chriſto tolluntur. Conc. to.3

Et eo priùs Anacletus Romanus Pontifex Epiſt. 1. ad Epiſcopos omnes, & cunctos Chriſti fideles, Qui abſtulerit aliquid Patri, vel Matri, dicitq; hoc peccatum non eſſe,homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit; Mater verò noſtra Eccleſia, quæ nos in Baptiſmo ſpirituali regenerauit: ergo qui Chriſti pecunias, & eccleſiæ rapit,auſert,vel fraudat,homicida eſt. Epi.Decre. tom.1. 12.q 2. ca. Qui abſtulerit.

Poſtremò.

Poſtremò. Bona, & facultates, quæ Deo conſecratæ ſunt non licet conuertere in alios vſus, præter eccleſiaſticos, & pauperum indigentium: ergo laicorum Principum exactionibus, & poteſtati ſubiectæ eſſe nō debent.

Epi. Decre. tom. I. Antecedens probatur ex prima Epiſt. Vrbani Primi Summi Pontificis, vbi hanc rem elegāter inſinuat. Ipſæ res, ait, fideliū oblationes appellantur, quia Domini efficiuntur. Non ergo debent in alijs vſibus, quàm Eccleſiaſticis, & prædictorum Chriſtianorum fratrum, vel indigentium conuerti; quia vota ſunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ.

Ibidem. Et ante ipſum Pius Primus Epiſt. 2. Ad ſedem, inquit, Apoſtolicam perlatum eſt; quod prædia diuinis vſibus tradita, quidam humanis applicant vſibus, & Domino Deo, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſuis vſibus inſeruiant: quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt; ne prędia vſibus ſecretorum cœleſtium dicata à quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quiſquam præſumpſerit, ſacrilegus habeatur, & ſicut ſacrilegus iudicetur.

Ex dictis planè conſtat, Res eccleſiaſticas non eſſe ſub poteſtate laicorum etiam Principum; atq; ab exactionibus & tributis exemptas eſſe debere. Qua quidem immunitate non ſolum bona, & res eccleſiarum, ſed etiam Clericorum frui teſtatur Gloſſ. in cap. fin. in ver. ſuis. de vita, & honeſt. Cler. in cap. eccleſiarum. 12. q. 2. in cap. ſimiliter, in ver. Eccleſia. 16. q. 1.

Oper. to. 3. Verùm huic determinationi obſtare videtur D. Ambroſius, qui in ea oratione, quæ inſita eſt in Epiſt. 32. ad Valentinianum Imperatorem, qua in Auxentium Arrianum de Baſilicis tradendis inuehitur, propè finem

nem habet hæc verba: Quid igitur? non humiliter reſponſum à nobis eſt? Si tributum petit, non negamus: agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrum interuenit: poteſt pauperibus collatio populi redundare: non faciant de agris inuidiam, tollant eos, ſi libitum eſt; Imperatori nõ dono, ſed non nego: Quibus verbis ſignificaſſe videtur ex agris Eccleſiæ ſoluendum eſſe tributum. 11. q. 1. c. Si tributũ.

Reſpõdeo primùm, quod cum D. Ambroſius ageret cum Imperatore, qui tunc fauens Arrianis, illis Eccleſiam tradi inſtabat, & idcircò ei contradicenti ſucceſuerat, ac multa minitabatur; vt grauius incommodum euitaret, depreſsè, & humiliter loquens ſe minus graui expoſuit, & ideò inquit: *non humiliter reſponſum à nobis eſt?* quaſi dicat, quicquid de Eccleſiæ agris Imperatori ſubiectis, atque ex ijſdem tributo ſoluendo expoſui, habui ex humilitate, non ex debiti ratione.

Prætereà. Nõ ait teneri ſe ad pendendum tributũ, ſed ſi Imperator poſtulet, non denegare; quia ſi agros velit, vindicandorum habet poteſtatem, facti ſcilicet, & non iuris vt docet Gloſ. c. ſi tributum 11. q. 1.

Tandem cum ipſe concludat, Imperatori non dono, ſed non nego, apertè oſtendit ſe, quamuis liberum, cedere tamen neceſſitati ac tempori.

Sed cõtra ità arguitur. Qui ſentit commodum debet ſẽtire onus: De Reg. iur. in 6. At Clerici Reipublicę cõmoda ſentiunt; quia tàm pro ipſorum, quàm pro laicorum tutela, ac defenſione in Reipublicę adminiſtratione Principes elaborant: ergo vbi publicum bonum exigerit æquum non eſt vt oneribus vacent.

Reſpondetur ex D. Thoma in Epiſt. ad Rom. c. 17. non eſſe æquam proportionem inter laicos, & ſacerdotes; nam illi onera ſubire tenentur cum ſint commodo-

modorum participes, & labores Principum alia re nõ compenſent. At Clerici diuinis vacantes eorum opera, & ſudores remunerant, imò pluſquàm exæquant; quia Religione magis, quàm vigilijs & laboribus Reſpublica conſeruatur. Quam rem Conſtantius, & Conſtans Imperatores intellexerunt, qui perſonis eccleſiaſticis priuilegiũ immunitatis propterea conceſſere. Gaudere enim, inquiunt, & gloriari ſemper volumus ſcientes magis Religionibus, quàm officijs, & labore corporis vel ſudore noſtrã Rempubl. contineri.

23.q.8. ca. In qualibet Ciuitate.

Clerici enim ſunt, quorũ Orationibus ſummi Numinis venia ſperatur. Gloſſ. in l. Miles, in ver. facete. ff. de re iudic. & ibi Ripa nu. 7. Regna verò, quorum defenſio à ſummo rerum Opifice deſtituitur à Regibus, & eorum Ducibus fruſtrà cuſtodiuntur. Quod egregie teſtatus eſt Aragonius Rex Ferdinandus Alphonſi filius, qui cum è ſuo Regno à Carolo Octauo Rege Gallorum hoſtilibus armis eijceretur, nauigans ad Aenarium Inſulam Campano litori adiacentem, quæ hodie dicitur *Iſchia*, ante proſpectum Neapolis hæc verba multis vicibus repetebat, *Niſi Dominus cuſtodiuerit Ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam*, ità apud Franciſcum Guicciardinium Hiſtor. Italiæ: lib. primo, in calce.

Pſal. 126.

Præterea non obſtare quamcumque conſuetudinem, & præſcriptionem, etiàm curſu tanti temporis confirmatam, vt hominum memoriam excedat, non ſolùm ex his, quæ in hac diſputatione attulimus; ſed ex illis, quæ in ſuperiori 4. concluſ. de conſuetudine & præſcriptione diſputauimus, manifeſtè colligitur.

Secunda Concluſio ſit. Leges, quibus decernitur ne Eccleſijs, & quibuſcumquè locis pijs bona donentur, vendantur, ſeu legentur eccleſiaſticam libertatem & pietatem Chriſtianam offendunt: ita communiter

niter ſentiunt Iureconſulti, ſpeciatim Bartolus in l. filiusfamilias §. Diui nu. 12. ff. de leg. 1. & in l. Dudum C. de contrah. empt. Baldus in l. vt inter diuinum nu. 17. C. de ſacroſ. Eccl. vbi inquit: Ego aliàs dixi, quod iſtud ſtatutum valet, ſed non includit Eccleſiā, iſta eſt veritas: ex quibus verbis cōſtat, quod etſi quandoque aliter dixerit, tamen priorem ſententiam retractauit. Alexander in d. §. Diui num. 11. Ioan. Andreas in cap. fin. de reb. Eccl. non alien. Hoſtienſis, & Cardinalis in d. cap. fin. de reb. Eccl. non alien. Ancharanus ibidem, & conſ. 155. num. 4. & 5. tit. 6. Lapus, Dominicus, & Francus in cap. fin. de immunit. Eccl. in 6. Ripa in d. §. Diui num. 81.

Probatur quo ad vtramq; partem. Et primū, quod lædant Eccleſiaſticam immunitatem quatuor medijs ità oſtenditur.

Ius acquirendi bona, & facultates pertinet ad huiuſmodi libertatem. Atqui per eas leges Eccleſiæ, & quælibet loca pia hoc iure priuantur ſaltem indirectè: ergo ſunt contra Eccleſiaſticam immunitatem.

Prætereà: Potentia acquirendi bona, & facultates pijs locis conceſſa, nō eſt inanis, & fruſtra: Ergo nō poſſunt fieri leges huiuſmodi poteſtatis actum impedientes: & ſi fiant, lædunt Eccleſiaſticam libertatem.

Conſequentia probatur; quia vi huiuſmodi legum efficitur, vt talis potentia non poſſit exire in actum, & conſequenter vana, & futilis eſſet.

Tertiò. Priuilegia Eccleſiaſticæ immunitatis ſunt in locorum piorum vtilitatem, ac beneficium elargita: At per huiuſmodi leges ea patiuntur grauiſſimum detrimentum, vt patet: ergo, &c.

Inſuper. Principes Laici nullā habent iuriſdictionē in Clericos, vt in præteritis diſputationibus oſtenſum eſt; ergo illos, eorūq; loca iure acquirendi bona,

I pri-

priuare non poſſunt: Atqui per eas leges illis huiuſmodi facultas adimitur; Ergo ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam.

Sequela probatur: Qui enim alterum inhabilem reddit neceſſe eſt, vt in ipſum iuriſdictionem habeat, vt in ſubiectum: ſic teſtantur Iuriſperiti communiter, ſpeciatim Bar. in l. 1. ff. de tut. & curat. dat. ab his.

Secundo loco, quod huiuſmodi leges pietatem Chriſtianam offendant ſic aſtruitur.

Primùm. Quæ diuinum cultum, & animarum ſalutem impediunt, ſunt contra pietatem Chriſtianã; At eę leges impediunt diuinum cultum, & animarum ſalutem; illum quidem, quia eius augumento obnoxiæ: hanc verò eò quòd fideles, ac pij homines à bonis operibus auocantur, quod eſt in animarum perniciem: ergo pietatem Chriſtianam offendunt.

Deinde. Condere leges in odium Chriſtiani cultus, & Eccleſiaſtici ordinis abſonum valde eſt, & pietati Chriſtianę repugnãs: Atqui eę leges huiuſmodi ſunt; quandoquidem cuique permittitur bona ſua legare, vendere, aut elargiri homini laico etiam ſordidiſſimę conditionis; & inhibetur locis pijs, quorum fructibus templa reſarciuntur, aluntur miniſtri Dei, necnõ pauperum egeſtatibus ſubuenitur: ergò; &c.

Poſtremò. Videtur his legibus Deus fieri inhabilis bonis, & facultatibus acquirendis: ſed hoc valdè abſurdum eſt, cum hoc ius denegetur nemini, etiam vulgari, & infimo: hæ igitur ſanctiones Chriſtianæ charitati, ac pietati repugnant.

Maior patet; quia Eccleſiarum bona Dei ſunt, & quæ pijs locis donantur, ipſi Deo elargiuntur, vt patet ex his, quæ in ſecunda probatione ſuperioris concluſionis animaduertimus.

Quamobrem piæ memoriæ Conſtantinus Catholicus,

licus, ac munificentiſſimus Imperator. Habeat, inquit, vnuſquiſque licentiam ſanctiſſimo catholico, venerabiliquè Concilio, ſiuè Monachorum, ſiuè Clericorum, decedens bonorum quod optauerit relinquere, & non ſint caſſa Iudicia eius: nihil.n. eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm, vt ſupremæ voluntatis, poſtquam iam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus. C. de ſacro ſan. Eccleſ. l. prima.

Vtinam huius maximi Principis facta, & leges omnes Chriſtiani Principes perpendant, & imitentur.

Quod ſi quis obijciat quorumdam Principum laicorum ſtatuta, quibus cauetur, ne bona immobilia vendantur, aut alia ratione in Eccleſias, & loca pia alienentur: reſpondeo vel ea, vt iniqua expreſsè reuocata fuiſſe, vel non eſſe in vſu, vel iuſtis rationibus ſuadentibus à viris Eccleſiaſticis approbata; & tandem, vt vno verbo multa complectar, veritatem concluſionis minimùm lędere; quia hæc Facti poteſtatem reſpiciunt, & illa Iuris, quam qui huiuſmodi ſtatutis oppugnant, aſciam, vt dicitur, cruribus ſuis illidunt.

Tertia Concluſio. Leges quibus ſtatuitur, nè bona Eccleſiaſtica laicis in emphiteuſim cōceſſa ob quamcumque cauſam ſint caducitati obnoxia, ſunt iniquę, & iuri repugnant.

Ante probationem aduerto diſtinctionem dominiorum, & rerum diuiſionem ab ipſo iure naturali, ſiue gentium ſumpſiſſe exordium. l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iur. Etenim cum propter originale peccatum à Deo ſententia lata eſſet, ne tellus ſpontè homini cibos ſuppeditaret, idemquè ſuis laboribus viueret: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribules germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane.* Gene. 3. naturæ ratio ſuaſit, vt ſingulis rebus certa, ac diſtincta dominia conſtituerentur, & vt quiſque

ſuum teneret, cum videretur iniquum ignauis, & deſidibus alieni laboris fructus communicari. Hanc diſtinctionem iure diuino approbatam fuiſſe cõſtat ex 7. 9. & 10. præceptis. *Non furtum facies. Non concupiſces domum proximi tui: Nec deſiderabis uxorem eius, non ſeruum, non ancillã, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* Exo. 20. Vnde Imperator Conſtantinus in l. ſi conſtiterit. C. fin. reg. aiebat vnumquemque ſuo iure contentum eſſe, & res alterius expetere nõ debere.

Quod autem Eccleſiæ iiſdem iuribus bona poſſidere liceat; cum hoc apud catholicos viros (vt in huius diſputationis principio animaduerti) compertum ſit, ex diuinis litteris eliciatur, Num. 30. vbi legimus vrbes, & ſuburbana Sacerdotũ eſſe eorum poſſeſſionẽ, Leuit. vltimo præcipi, vt ſi quis agrum Domino vouerit eum Sacerdotes poſſideant, & 3. Reg. 2. Regem dicere Sacerdoti Abiathar Vade ad agrum tuum. & conſtet ex Conciliorum, & Pontificum decretis; quorum aliqua paulò poſt huius diſputationis initium, & in probatione primę cõcluſionis recitata fuere, ex reſponſionibus Cæſarũ C. de Sacr. Eccl. ibidem. ex doctrina Patrum, vt Ambroſij Epiſt. 32. Chryſoſt. Hom. 37. ad populum Antiochenum. Aug. Serm. 1. & 2. de communi vita Clericorum; Proſperi lib. 2. de vita cõtemplatiua cap. 9. & aliorum; haud opus eſt, quod perſuadere contendam.

Oper. to. 3.
Oper. to. 5.

His animaduerſis, q hę leges iniquę ſint, ita probat.

Ex huiuſmodi ſanctionibus ſua bona, ac iura Eccleſijs auferuntur; quia cum bona Eccleſiaſtica laicis data in emphiteuſim Eccleſiæ ſint, eaque priuari non poſſit poſſeſſione eorum, quæ iuſto titulo acquiſiuit; profectò ſi promulgentur leges decernẽtes talia bona ad ipſam Eccleſiam nullo caſu reuerti poſſe, eius iuriſdictio vſurpatur: at iniquum eſt quemlibet

ſpoliari ſuis bonis, cum æqua ipſorum poſſeſſio ob delictum ſolummodò amittatur l. pater familias teſtam. de hær. inſt. l. Si quis in ſuo §. legis C. de ineff. teſt. & Deus (cuius eſſe bona Eccleſiæ, eique offerri, dum Eccleſiæ largiuntur, in 2. & 3. ratione pro prima concluſione huius diſputationis oſtendimus) quia eſt ſummum bonum per eſſentiam, nullo poſſit crimine argui: quamobrem hęc ſtatuta ſunt iniqua; & prorſus indigna, quæ leges dicantur; cum ò ratione legis ſit æquitas, & iuſtitia, vt in vltimæ Diſputationis concluſione ſecunda videbimus.

Quod autem aduerſentur iuri, docent Iuriſperiti l. fin. C. de iure emphit. & Canoniſtæ cap. fin. de locat. Doctrina .n. communis eſt; quod vbi Eccleſiaſtica emphiteuſis eſt finita, vel per tertiam generationē, vel ob tempus præfinitum, vt 29. 40. aut 100. annorum reuertitur ad Eccleſiā concedentem, tāquàm veram, & legitimam dominam; Ratio eſt, quia conceſſum ſub aliqua conditione poſt illam purificatam eſt prohibitum l. Imperator ff. de poſtul. l. ſtatu liberū §. ſtichū ff. de leg. 2. l. pater filiam §. fundum ff. de leg. 3. Bart. in conſ. 161. nu. 4. vol. 1. Bal. Alex. Imol. Franc. Aret. Iaſ. & alij in l. ſi ita quis ff. de vulg. & pupill. & hoc adeò verum eſt; vt poſtea Eccleſia emphiteoticū prædium ad ſe reuerſum alteri tradere non conſtringitur, ſi velit ſibi retinere, & hanc ſententiam, vt veram, æquam, & communem ſecuti ſunt Rip. in l. 1. num. 9. ff. de priuileg. cred. Gozzad. conſ. 39. num. 21. & alij permulti, quos allegat Burſat. conſ. 127. nu. 2. lib. 2.

Ad hęc accedit Innocentij Tertij Romani Pontificis conſtitutio, in cap. Quæ in Eccleſiarum de conſtit. qua cautum eſt laicos ferre leges non poſſe de bonis, quorum directum dominium ad Eccleſiam ſpectat,

vtile verò ad laicos: cui addunt Abb. in d. cap. num. 1. Zabar. num. 6. Surd. qui alios Doctores allegat conſ. 301. num. 3. quicquid ea in re à laico Principe decernatur, ab Eccleſiaſtico Iudice reuocandum. Quamobrem ſi Eccleſia inconſulta vi directi dominij vtile alienari non poteſt; multò minus legibus ſanciri poterit, vt bona Eccleſiaſtica laicis data in emphiteuſim ob quamcumque cauſam caducitari obnoxia ſint, atque in caſibus iure conceſſis vtile dominium cum directo conſolidetur.

Verùm enimuerò quia hæc luce ſunt clariora; ſat fuit leuiter tetigiſſe; multis enim ſuperſedemus, ne pio lectori faſtidio ſimus.

Ex his habemus Eccleſiaſticas facultates non eſſe in poteſtate laicorum, etiàm ſi viri Principes ſint: imò nec legibus impedire poſſe, quominus bona Eccleſijs legentur, vendantur, ſiue donentur, aut propria Eccleſiæ bona Laicis data in emphiteuſim cauſa caducitatis vel temporis, vel generationis finitæ ad Eccleſiam reuertantur.

AN ECCLESIASTICAE PERſonæ, & facultates ſint à Laicorum poteſtate Iure diuino exemptæ.

DISPVTATIO QVARTA.

IMMVNITATEM Rerum, ac Perſonarũ, quæ diuino cultui dicatæ ſunt, ex Iure Canonico, & Cęſareo, nec nõ Sanctorum Patrum teſtimonijs, & rationibus in ſecunda, & tertia diſputatione oſtendimus: ſequitur modo grauior difficultas examinanda: An, ſcilicet, etiam ex Iure diuino huiuſmodi exemptio deprõmpta ſit. Circa quam, primùm aliorum ſententias in medium afferam, deindè quid ſentiam tribus concluſionibus explicabo.

Partem negatiuam defendunt.

Ioannes Medina de rebus reſtituendis q. 15.

Soto in 4. ſentent. diſt. 25. q. 2. art. 2. concl. 3. 4. 5.

Palatius in 4. ſent. diſt. 25. concl. 3.

Franciſcus de Victoria Relect. 1. de Poteſtate Eccl. q. 6. propoſ. 4. & 6.

Bannes 2. 2. q. 67. ar. 1. concl. 2.

Ledeſma in 4. par. 2. q. 20. ar. 4. ver. hæſitabis. concl. 2. & 3.

Petrus Ferra. in pract. tit. de Confeſs. §. plenũ col. 1.

Andreas Alciatus ad ca. Cum ab homine de Iudic.

Didacus Couarru. in pract. quæſt. cap. 31. num. 2. concluſ. 3.

Hæc ſententia pluribus modis ſuadetur.

Primò ex lege Naturæ: Qui enim Dei cultui, ſacrificijs, & oblationibus dedicabantur non ob id à Maiorum,

iorum, ſiuè Regum, ſiuè Iudicum Iuriſdictione exempti erant, cum Sacerdos ſummus, cui reliqui ſubijcerentur, adhuc inſtitutus non eſſet; cuius rei, etſi Scriptura non meminit, ratio tamen ſuadere videtur, antequàm poteſtas Eccleſiaſtica à laica diſtingueretur eiſdem legibus, Sacerdotes, & Laicos eſſe ſubiectos.

Secundò ex lege ſcripta. Etenim, etſi Deus inter Leuitas, Sacerdotes, & alios quò ad officia, & rerum, ſiuè terrarũ poſſeſſionem diſcrimẽ poſuerit, eò quod Leuitas, & Sacerdotes ſacra tractare, ac ſolis decimis, primitijs, alijſq; Deo oblatis contentos eſſe voluerit; tamen ſuperſtite Moyſe, tàm qui ex Leui, quàm qui ex alijs Tribubus trahebant originem, Moyſis iudicio ſtare debebant. Quare, cum Moyſes Princeps tẽporarius eſſet, & Sacerdotes in cauſis, ac iudicijs, non Aaroni, qui ſummus Sacerdos erat, ſed Moyſi ſubijcerentur, non ſunt Iure diuino Eccleſiaſtici à Laicorum poteſtate exempti.

Tertiò. Clerici iudicari debent ab his, qui iudiciũ Dei exercent: ſed tales ſunt Laici iudices, quibus Paralip. 2. cap. 19. dictum eſt, *Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini*, ergo Clerici à Laicis judicibus ſunt iudicandi.

Quartò ex noua lege. Et primò apud Matth. 22. iubet Chriſtus cẽſum tribui Cęſari ſub his verbis, *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, ergo, & Clerici ad idem tenentur.

Conſequentia ſuadetur; quia Phariſæis hoc iuſſit qui erant Sacerdotes non Laici.

Quintò Ioa. 19. Chriſtus, qui erat Summus Sacerdos, de quo Pſal. 109. dictũ eſt. *Tu es Sacerdos in æternum*, faſſus eſt Pilato ſe eſſe ſubiectum, cum dixit *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper*.

Sextò ex Actibus Apoſtolorum cap. 25. Etenim, cum

cū D. Paulus videret cauſam ſuā malè, & iniuſtè tractari, Cæſarem, & non Pontificem appellauit, *Ad Cæſaris tribunal ſto, à quo me oportet iudicari*, ergo in temporalibus agnouit Cæſarem, vt ſuum Iudicem.

Septimò ex verbis eiuſdem ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* quo loci cū laicorum poteſtatem ſignificet, & neminem ex ea excipiat, etiam Eccleſiaſtici ei ſubijciuntur: quam rem à D. Chryſoſtomo tradunt animaduerſam, qui hęc verba exponens ait. Facit hoc ideo, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politicas euertat, ſed, vt ad melius inſtituat; Et paulò poſt, oſtendens, quod iſtæ imperentur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis non ſolùm ſecularibus, id, quod in ipſo exordio declarat cum dicit *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiuè quiſque tandem fueris; neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.

Poteſt etiā ex Theophylacto educi in eius loci expoſitione dicente. Poſtquàm ſatis iàm auditorum mores inſtituit, (loquitur de Paulo) inducit aliud quoddam inſtructionis genus, & vniuerſos erudit, ſiuè Sacerdos ſit, ſiuè Monachus, ſiuè Apoſtolus, vt ſe Principibus ſubdant, cuiuſmodi ſubiectio nil prorſus eſt ſublatura cognitionem, &c.

Octauò. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, D. Paul. ibidem. At qui legibus, & poteſtati ciuili nō parent, poteſtati reſiſtunt, ergo, & Dei ordinationi reſiſtunt. 11. q. 3. ca. Qui reſiſtit.

Nonò. Ibidem D. Paul. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal: Miniſtri enim Dei ſunt omnes.* Hic præcipit indiſtinctè Principibus tributa ſolui, ergo Clerici non eximuntur.

Decimò. Teſtimonio D. Petri Epiſt. 1. cap. 2. qui cū

ſcriberet ad omnes Chriſtianos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ,& Bithyniæ etiam Sacerdotes, inquit, *Subiecti igitur eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum, ſiuè Regi, quaſi præcellenti, ſiuè Ducibus tamquã à Deo miſſis ad vindictam.*

Vndecimò. In ipſius Eccleſiæ naſcentis exordijs Clerici,& eorum bona, Regum, & Imperatorum iuriſdictioni ſubiecta erant, vt ex multis Imperatorum, etiam Chriſtianorum legibus, & Cōſtitutionibus latis de perſonis, rebus, omniq; diſciplina Eccleſiaſtica compertum eſt. Quæ omnia fuſius apud Couarruu. videri poſſunt.

Duodecimò. Lex Euangelica debita priùs contracta non tollit, ſiuè ſint carnis, ſiuè pecuniarũ, ſiuè ſeruitutis, ſiuè alterius obedientiæ; ergo nec debitũ ſubiectionis: quam quis certa lege ſpeciali alteri debet, eò quod ad Clericalem ordinem promoueatur.

Antecedens probatur. Seruus.n. conuerſus ad fidem per baptiſmum a priori ſeruitute non fit immunis: ità D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Domini nõ tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiã diſcolis.* D. Paul. 1. Corinth. cap. 7. *Vnuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt permaneat.*

Similiter per baptiſmum ſubſequentem debitum coniugale non tollitur: ita D. Paulus loco citato, *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam.* Ita, & pecuniariũ debitum; ſicuti neque per ſacerdotium, aliumuè ſusceptum ordinem.

Tertiodecimò. Eccleſiaſtici viri Imperatorum, ac Summorum Pontificum decretis (vt ex ſuperiori diſputatione conſtat) à ciuiliũ Principum iuriſdictione exempti fuere; ergo non ſunt Iure diuino immunes.

Quartodecimò. Id eſt de Iure diuino, quod ex Iu-
re

re diuino oſtenditur: ſed Immunitas Clericorum ex Iure diuino oſtendi non poteſt: ergo non eſt de Iure diuino.

Vrget Couarruuias, quia nullibi conſtat diuinam legem (quæ verè diuina ſit,& poſt Chriſti aduentum vim, & poteſtatem habeat) Clericos à temporalium Principum iuriſdictione eximere.

Quintodecimò. Si Eccleſiaſtici Iure diuino exẽpti forent de eorum Immunitate diminui quicquam non poſſet:ſed oppoſitum ſæpè videmus,cũ Romani Pontificis priuilegio Laici Iudices cauſas Clericorũ cognoſcant: ergo non ſunt Iure diuino exempti.

Altera ſententia eſt Almaini tract.de ſuprema poteſtate Eccleſ.cap. 8. propoſit.3.ad finem.

Ioan.Bacconi in 4.ſent.q.11.Prologi ar.4.

Ioan. Driedonis de libertate Chriſtiana lib.1.c.9.

Sylueſtri ver.Immunitas 1. q. 4.

Angeli ver.Immunitas num.33.verſ.11.

Iacobi Graffij Deciſ.aurearũ par.2.lib.3.c.5.nũ.4.

Thomæ Bozij Eugubini de Iure Status, in quod opus tot, tantaquè congeſſit pertinentia ad Eccleſiaſticam poteſtatem, eaquè tàm doctè, ac ſolidè explicauit; vt Eccleſiaſticæ libertatis propugnaculum meritò dici poſſit: paſsim in toto opere, præſertim libro quarto copioſè.

Ioa.Azorij Lorcitani Societatis Ieſu Inſtitut.moraliũ lib.5.ca.12.vbi hãc rem fusè diſputat, & eruditè.

Ioan. Franciſci Leonis in Prax. Epiſc.Theſau. par. 1.cap.14.num.1.

Alexandri Peſantij in 1. 2. D. Tho.Tract. de Immunit.Eccleſiaſtica diſput.1.

Innocentij cap.2.de maior. & obed.

Gloſſę in cap.Si Imperator diſt.96.in verbo diſcuti,& in c. Quamquàm de cenſibus in 6.in ver.diuino.

Ioan. Andreæ, Dominici, Archidia. Anchar. Franchi in d. cap. Quamquam de cenſibus in 6.

Abba. Felyni, Decij, Butr. in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ.

Card. in cap. Perpendimus num. 5. verſ. ſed priuilegium.

Oldr. conſ. 83. incipit An Epiſcopus.

Rotę deciſ. 10. in antiquis aliàs 839. de conſuet.

Crot. in l. omnes populi num. 6. de Iuſt. & iur.

Alex. conſ. 8. lib. 1. & 149. lib. 6.

Thom. Gram. deciſ. 29. & deciſ. 61. & conſ. 1. n. 29.

Et tandèm canoniſtarum ferè omnium, vt teſtantur Couar. loco ſupra citato, & Anaſtaſius Germonius, qui eandem ſequitur de ſacrorum Immunitatibus opere eleganti quidem, & omnibus numeris abſoluto lib. 3. cap. 15.

Antequam autem quid ſentiam explicem duo pręmitto.

Diſtinctione 1. cap. Omnes leges.

Vnum eſt, legem duplicē eſſe, diuinam, & humanā. Diuina eſt, quā Deus immediatè inſtituit. Humana; quæ ab hominibus per poteſtatem ſibi à Deo tributam, lata eſt.

Sed illa in Naturalem, & Poſitiuam ſecernitur. Naturalis eſt, quam Deus homini ità inſeruit, vt eàm ratio ipſa naturaliter dictet: huius generis principia illa ſunt, quæ ſolo naturali lumine innoteſcunt, quale illud Quod tibi vis fieri alteri facito iuxta Chriſti ſententiam Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Poſitiua, quæ data quidem à Deo eſt, ſed per reuelationem homini manifeſtata: etenim cū homo nō ad naturalem tantùm finem, qui eſt pacificus Reipublicæ ſtatus, ſed præterea ad æternā, & ſupernaturalē fœlicitatē conditus ſit; dedit ei legem, quæ ad huiuſ-

modi

mōdi finem ipſum dirigeret, quæ duplex eſt Vetus, & Noua; quam rē fuſiùs explicat D. Th. 1.2.q.91.ar.4.

Alterum: licet Summorum Pontificum Conſtitutionibus decretum ſit, vt à ciuilium Principum Iuriſdictione Eccleſiaſtici ſint immunes, non inde tamē deduci debere libertatem hanc ex legibus ſancitam eſſe, quaſi priùs non fuerit. Gloſſ. ad illam Ioan. Papę primi Conſtit. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus, &c. ſcribit, Sacerdotes, ſiuè Clericos ante omnē humanā conſtitutionem fuiſſe, & eſſe à Iuriſdictione ſecularium Principum omninò exemptos: cōſtitutiones verò, quæ ſubſecutæ ſunt non ad exemptionē pertinere, ſed ad Iuris diuini declarationem. Diſt. 96. ca. Si Imperator.

His animaduerſis pro difficultatis deciſione, ſit prima Concluſio:

Clericorum Immunitas eſt ſecundum Ius naturale.

Hanc quò ad bona D. Thomas ſuper ijs verbis *Miniſtri n. Dei ſunt*, ad Romanos 13. videtur inſinuaſſe, cum inquit. Ab hoc tamen debito (de tributo loquitur) liberi ſunt Clerici ex priuilegio Principum; *quod quidem æquitatem habet naturalem*, quem ſequitur Ioan. Driedo de libertate Chriſtiana lib. 1. cap. 9. Eidem Concluſioni quò ad Perſonas, oppoſitæ ſententiæ aſſertores præcipui Soto, & Victoria fauent. Ille enim loco citato concl. 5. ait, quod perſonæ eximātur eſt Iuri naturali, & diuino maximè cōſentaneum: hic verò loco citato propoſitione 6. Exemptio Clericorum, maximè quo ad Perſonas, ita ſcilicet, quod nec iudicari, nec puniri à ſeculari poteſtate poſſint, eſt multùm conformis Iuri diuino, & naturali.

Quod autem Eccleſiaſticorum Immunitas, ſit de Iure naturæ, inde ſatis colligitur, quia Religionis tàm veræ, quàm falſæ Deo dicatis hominibus exemptio aliqua cōceſſa fuit.

Quod

Quod apud Hebręos à communibus oneribus Leuitæ eximerentur, & quod magis etiam diuina inſtitutione, videre eſt, præſertim Num. 1. cum .n. Iſraelitæ omnes iuſſu Domini enumerari deberent, vt ex eis ij eligerentur, qui apti erant ad pugnam, Leuitæ numerati non ſunt, *Etenim locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens Tribum Leui noli numerare:* ipſi namque cum diuino muneri inſeruirent haud voluit Deus, vt militaribus copijs adſcriberentur.

Quod ſi primo Reg.c.4.filios Heli Sacerdotis Magni cum alijs ad pugnandũ profectos,& necatos fuiſſe deſcribitur: & Machabæ: 1. & 2. non ſolùm Mathiam,ſed alios etiam Sacerdotes,vt Iudam,qui dictus eſt Machabæus, eiusq; fratres Ionathan, & Symonem, & Ioannem Hyrcanum filium Symonis ſtrenuè dimicaſſe; reſpondetur ex Sacerdotibus,aliquos non ad pugnandum, ſed milites animandos ire conſueuiſſe ex præcepto Domini Deuteron. 20. *Appropinquante autem iam prelio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad Populum: Audi Iſrael, Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere,&c.* Quin & Chriſtiani etiam Sacerdotes ad iuſta bella proficiſcuntur, vt confeſſiones audiant ſacrum faciant,& concionentur. Ophni autem, & Phinees filij Heli non iuerunt in pugnam contra Philiſtęos,vt dimicarent,ſed eſſent cum Arca fœderis Domini,quæ delata fuit in caſtra: ità Reg. loc. cit. habetur. *Erantq; duo filij Heli cum Arca fœderis Domini Ophni, & Phinees:* quiquidem cùm eam fortè defendere conarentur occiſi ſunt, & Arca Domini capta eſt.

De Machabæis dicendum, ingruente neceſſitate etiam Sacerdotes preliari conſueuiſſe; non,quòd pugnare Sacerdotum eſſet, ſed quia tunc ſic oportebat,

ſicuti

ſicuti ea tempeſtate oportuiſſe ibidèm perſpicuũ eſt.

Apud Aegyptios nulla tributa Sacerdotes ſoluiſſe Geneſeos ſcriptor c. 47. teſtatur his verbis. *Emit igitur Ioſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitq́; eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Aegypti vſq; ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis; quibus, & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: & idcircò non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Et paulò poſt. *Ex eo tempore, vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti Regibus quinta pars ſoluitur: & factum eſt quaſi in legem abſque terra Sacerdotali, quæ libera hac conditione fuit.*

Verùm Ioan. Medina in reſponſione ad primũ Couar. num. 1. & Soto in 3. Concl. reſpondent hinc minimè colligi Sacerdotum exemptionem eſſe Iure diuino: quod .n. ſtatuit Ioſeph, & Rex probauit, humana lex fuit; neque dicendum, quod Deus iure ſtatuerit, vt Gentilium Sacerdotes, qui Idola colebant, huiuſmodi Immunitatem haberent.

Sed hæc reſponſio (ni fallor) neque authoritatis allatæ, neque aliarum eiuſdem generis vim euacuat; quia non afferuntur ad inſinuãdam exemptionem ex iure diuino poſitiuo, ſed naturali, quod & ipſum diuinum eſt. Siquidem exempla Immunitatem, quæ Sacerdotibus Idolorum tribuebantur in vnum congeſta oſtendunt Naturam ipſam dictare, Deo addictos exemptos fore.

Perſarum verò Rex Artaxerſes ſtatuit, vt ex filijs Iſrael, ij, qui diuinis vacabant officijs, nullis exactionibus grauarentur ita apud Eſdr. 1. c. 7. *Vobis quoque notum facimus* (loquitur ſuis Miniſtris) *de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, Cantoribus, & Ianitoribus, nathinæis, & miniſtris Domini Dei huius, vt vectigal & tribu-*

tum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.

Apud Gallos cùm à bello, tùm à tributis, ac vectigalibus perſoluendis Sacerdotes fuiſſe liberos teſtatur Plutarchus in Camillo: Tãtus his metus fuit, vt lege quoque Sacerdotibus militiæ immunitas (præter quàm ſi bellum Gallicum incidiſſet) data fuerit: Quæ ſanè lex tantæ deinceps authoritatis, & roboris fuit, vt ipſi Sacerdotes in perpetuum omnibus immunitatibus gauderẽt, muneribus vacarent, tributa exactiones, vectigalia, angarias, perangarias, & his ſimilia minimè perſoluerent.

Et ante ipſum Cæſar de bello Gallico lib. 6. Druides à bello abeſſe conſueuerunt; neq; tributa vnà cũ reliquis pendent, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem, tantis excitati præmijs, & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à parentibus propinquis mittuntur. Qui fuerint Druidę ſiue Dryide apud Gallos refert idem in eod. libro: Druidæ rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, ac priuata procurant, religiones interpretantur.

Quid, ſi ipſum Iulianum Apoſtatam, ad cuius impietatem nulla videtur fieri poſſe acceſſio, hoc idem Dęmonum Sacerdotibus tribuiſſe dicamus, cum, Religione Chriſtiana turpiter deſtituta, atq; Etnicorum delubris iterum patefactis, aras, & ſimulacra Idolorũ erigi voluit, eiſq; ſacrificia offerre cepit? Horum ſacrorum (inquit Sozomenus Hiſtorię Eccleſiaſticę lib. 5. cap. 3.) profeſſoribus, & Sacerdotibus, interpretibus, & ſtatuarum cultoribus priſtinos honorum gradus reddere, rata facere ea, quæ veteres Imperatores, Gentiles nempè de his ſanxerant, decernere illis immunitatem miniſteriorum, & rerum quoque aliarum, ſicut ante habuerunt.

Ex

Ex his profectò manifeſtum eſt Homini à Natura inditum eſſe eos qui Deo inſeruiunt, à laicorum Principum famulatu, & legibus eſſe debere immunes.

Secunda concluſio. Clericorum Immunitas ex ſacris literis deprompta eſt.

Primùm veteris legis: nam præter ea, quæ allata ſunt conſtat Dominum eos, qui erant ex tribu Leui in ſui obſequium ſelegiſſe, ac diuerſam Pontificum, & Regum poteſtatem, ac iuriſdictionem fuiſſe; quam ſanè diſtinctionem, vel à Deo inſtitutam, vel approbatam dicamus oportet. Vnde Numer. 18. Deum legimus Sacerdotibus dediſſe decimas, quò ſuo cultui inſeruirent: quaſi innueret, eos, qui in rerum ſacrarum officia incumbunt, aliorum hominum legibus ſubijciendos non eſſe; inquit.n. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis, vt nō accedant vltra filij Iſrael ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, ſolis filijs Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi.*

Ad hæc, & huius generis authoritates reſpondent Ioan. Medina ad 6. & Couarruuias num. 1. quod, etſi legis tempore id fuerit obſeruatum, non inde tamen fit, vt in Euangelica lege hoc ipſum Iure diuino neceſſariò ſeruandum ſit: eò quod ſicuti ceremonialia præcepta illius legis, ita & iudicialia noua lege, & Chriſti morte abrogata fuere.

Sed contra. Sacerdotibus veteris legis Iure diuino data fuit Immunitas nō alia cauſa, quàm quòd in obſequium Dei ſelecti diuinis vacabant officijs; ergò eadem ratione Euangelicis Clericis tribuatur oportet.

Probatur conſequentia, quia poſt Chriſti mortem eadē cauſſa immunitatis ſcilicet, Dei famulatus apud Clericos in Eccleſia Chriſtiana, remanſit; ergo idem

 priui-

priuilegium: ſi enim Sacerdotio remanente priuilegium abrogatũ eſt, quid cauſsæ eſt, quod nouę legis Sacerdotes deterioris ſint conditionis, quàm veteris?

Confirmatur. Clerici nouæ legis cum ad nobilius ſacrificium inſtituantur ſunt digniores Sacerdotibus antiquæ legis; At hi Immunitates aliquas ſupra cęteros Iure diuino ſunt aſſecuti: ergo multo magis Euangelici Sacerdotes.

Præterea perſonarum Eccleſiæ immunitatẽ Deus non obſcurè inſinuaſſe videtur Pſal. 104. quo loci audimus eum pręcipientem. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Quod, vt oſtendam, primùm obſeruo verbum *tangere* diffundi ad omne id, quod tangi poteſt aliquo modo iniurioſo: neque enim ſolùm corporali tactu tangitur homo, cum ſcilicet in eum manus violenta immittitur, cæditur, aut in vincula trahitur; ſed tactu etiàm ſpirituali, vbi alter alteri negocium faceſſit, quo animo angitur, ac vexatur. Hoc ſibi nimirùm voluit D. Hieronymus in Zacch. 2. qui exponens ea verba, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* inquit. Tactũ pro vexatione, & iniuria accipe, iuxta illud, quod legimus. *Nolite tangere Chriſtos meos.*

Opet. to. 6.

Inſuper animaduerto verbum *Chriſtos*, quod ſignificat vnctos, tria hominum genera complecti, videlicet, Sacerdotes, Reges, & Prophetas: hi enim omnes in veteri lege vngi conſueuere. Quod Sacerdotes vngerentur habemus pręſertìm Exo. 30. vbi Deus Moyſi loquens; *Aaron* (inquit) *& filios eius unges, ſanctificabiſquè eos, vt Sacerdotio fungantur mihi.* De Regibus teſtimonium extat potiſſimum Regum 1. cap. 10. *Tulit autèm Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius* (.i. Saulis) *& deoſculatus eſt eum, & ait. Ecce vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem.* De Prophetis Reg. 3. cap. 19. ibi enim Deus Elię præcipit, vt Eliſeum

ſeum perungat. *Eliſeum autèm filium Saphat, qui eſt de Abelmeula unges Prophetam pro te.* Sed alij interna ſolùm, & ſpirituali vnctione perunċti erant, vt Abrahā, Iſaac, & Iacob, alij etiàm corporali, vt Aaron, Saul, Dauid. Quamobrèm cum Deus iubet, ne Chriſti ſui tangantur, decernit, ne quiſpiam in viros ſacris miniſterijs ex officio addictos aliquid moliatur, eos vexet, contumelijs, iniurijſquè afficiat. Ex quibus verbis generatìm colligimus Euāgelicos Sacerdotes, qui interna, atque exteriori vnctione perunċti Dei cultui ſpeciatìm deputati ſunt, nec cædendos, nec ad profanorum Iudicum tribunalia contumelioſè trahendos, aut quauis alia ratione vexandos eſſe.

Verùm Didacus Couarruuias loco citato ad primum reſpondet lege diuina cautum eſſe, vt Sacerdotes, & Clerici nulla afficiātur iniuria, non autèm prohiberi Iudicium Principum laicorum in ipſos Clericos iuxta Iuris ordinem exercendum.

Sed contra. Qui facit aliquid, quod in alterius cōtemptum, & contumeliàm vergat, ei profectò iniuriā infert; atqui trahere Sacerdotes, & Clericos ad Laicorum Iudicum tribunalia, eoſdemq; Iudices propria authoritate iudicare Eccleſiaſticos viros tàm in Sacerdotum, quàm Sacerdotalis ordinis perturbationem, & contemptum redundat, vt rationibus in primę Cōcluſionis, Diſputationis ſecundæ probationem adductis ſuprà oſtendimus: ergo, & in eorūmdē iniuriam.

Aliter reſpōdent Franciſcus Victoria propoſitione ſecunda, & Dominicus Soto Concluſione 5. dicentes Pſalmographum ſpeciatim loqui de Prophetis, & Patriarchis, Sacerdotibus verò, & Clericis non niſi allegoricè conuenire.

At contra huiuſmodi reſponſionem ſic arguo. Quod generatim proponitur, diſtributiuè refer-

tur ad omnia, quibus propriè conuenit: ſed Deus in vniuerſum præcipit, ne ſui Chriſti tangantur; aliàs enim ſi cæteris excluſis illos dumtaxat hoc edicto cõplecteretur, eos generico nomine ſignificare non opus fuiſſet: ergo huiuſmodi præceptum ad Chriſtos omnes, quibus propriè conuenit, diſtributiuè refertur, atqui Euangelici Sacerdotes Chriſti Domini verè non metaphoricè ſunt: igitur ſub generali edicto propriè, non allegoricè comprehenduntur.

Præterea: potiſſima cauſa, propter quam præceptũ eiuſmodi ſpeciatim refertur ad Prophetas, & Patriarchas, eſt; quia Chriſti Domini erant, alioquin, cur in diuina ſcriptura, in qua nihil eſt ſine cauſa, & ratione, Chriſti dicti ſunt, non ſerui, vel filij? at Euangelici ſacerdotes ſunt Chriſti Domini, illis multò præſtantiores non tantùm, quia vnctione externa, & interiori ſimul vnguntur, illi verò ſpirituali ſolùm peruncti fuere, ſed quia horum ſacerdotium ſacerdotio veterũ eſt valde nobilius, & excellentius: ergó tale præceptum etiàm ad Euangelicos ſacerdotes propriè non allegoricè ſe extendit.

Inter nouæ legis teſtimonia inſignis eſt Matthæi locus cap. 17.

Petrum Ieſus interrogans ait. Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ieſus, ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illũ ſumens da ei pro me, & pro te.

Ad huius loci vberiorẽ intelligentiam duo ſuppono. Vnum: huiſmodi cenſum fuiſſe annuũ quoddam tributi genus impoſitum in ſingula capita, vt Tyrannis Iudæi penderent, quod olim vni Deo ſoluebant, in eoq; ſoluendo ſe Cæſari Subditos profitebantur.

Cæpit autē, vel à Pompeio qui (vt Ioſephus tradit li. 14. Antiq. cap. 8.) Hyeroſolimam Romanis tributariam fecit: vel ſub Auguſto eo tempore, quo vniuerſi Orbis deſcriptio facta eſt.

Alterum: Didrachmum, Atticum nomen, ſignificare argenteę monetę genus cōtinēs duas drachmas, quæ prorſus valent, ac duo hiſpanica regalia, & duo Italici Iulij: Syclum autèm, vel ſtaterem numum, qui valebat quatuor drachmas. Sed hæc exactè Guglielmus Budęus in lib. de Aſſe, & partibus: quem, cum in ore piſcis inuentum Petrus ad telonarios detuliſſet, pro ſe, & Chriſto Tributum perſoluit. Oper. to. 2.

De cuius tributi ſolutione interrogatus à Domino An filij, an alieni hoc pendant; alieni reſpondet: vnde cōcludit Chriſtus ergo filij liberi ſunt; quibus verbis oſtendit ſe non teneri ad perſoluendum: nam ſi naturales filij Regum ſunt à tributis immunes, Chriſtus qui eſt naturalis filius Regis totius Mundi etiam liber erat, neq; ſolum vt Deus (vt in Propoſitionis ſecundæ partic. 2. perperàm intellexit Doctor incognitus) ſed etiam quatenus homo, cum ſuſcepta hominis Natura ſit vnita diuino ſuppoſito, imò nec Chriſtus tantùm, at Petrus, alijuè Apoſtoli; & conſequenter Epiſcopi, ac Euāgelici ſacerdotes hac libertate frūūtur: quia licet non ſint filij naturales ſupremi Regis, vt Chriſtus; eius tamen domeſtici, ac familiares cenſentur: dicuntur enim Clerici .i. vocati in ſortem Domini: ita Iſid. etym. lib. 7. cap. 2. Filius autem Regis cum tota ſua familia, & aula ſolet eſſe in quolibet regno immunis. Verborum igitur Chriſti ſenſus eſt: Regum filij cùm ſint à tributis cum domeſticis ſuis exempti; Ego, & tu, Petre, liberi omninò ſumus: Ego quidèm quia filius ſecundum naturam Regū Regis; Tu verò, ac reliqui huius generis, quoniam elegi vos

in obſequium mei, quem ęquum eſt non eſſe inferioris cōditionis, quàm ſint filij Principum huius ſeculi.

Hanc rem in ſubſequentibus verbis nō obſcurè ſignificauit cū ſubdit, *Vt autem nō ſcandalizemus eos, &c.* ſcilicet; quamuis ad tributa perſoluēda nō teneamur; quia tamen latent noſtrę libertatis cauſſę, ne queſtuoſum hoc hominum genus anſam de nobis conquerēdi accipiat, neuè ſimplicibus, qui nondùm intellexere hoc myſteriū, offendiculo ſimus, *Vade ad Mare, &c.* Hæc (ni fallor) genuina eſt Chriſti verborum interpretatio. Ita exponūt Ioannes Maior Theologus Pariſienſis. Claudius Guilliaudus Bellioceñſis, & Ioannes Maldonatus.

Hinc ex veteribus Patribus, duo Chriſtianæ religionis lumina Diuus Hieronymus, & Auguſtinus, Clericorum exemptionem à tributis educunt: Diuus enim Hieronymus ſic ait. Ille pro nobis, & crucē ſubſtinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore (.i. quia eius cultui ſpeciatìm deputati ſumus) tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus. Oper. to. 9.

Op. to. 4. Diuus Auguſtinus lib. 1. quæſt. Euang. q. 23. inquit. Quod dixit, *Ergo liberi ſunt filij*, in omni Regno intelligendum eſt, liberos eſſe Regni filios, ideſt nō eſſe vectigales: multò ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filij Regni illius, in quo ſunt omnia regna terræ.

Quæ verba explicans Illuſtriſſimus Caietanus in 2. 2. q. 104. ar. 6. ad primum ait, Per filios Regis, ſeu Regni nō intelligit omnes Chriſtianos, ſed eos, qui præſunt in Regno, quaſi filij. Hi autem ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & qui relinquentes omnia Chriſtum ſequūtur, iudicaturi Orbem. Hi enim in hoc mundo tamquàm filij Regis ex eorum ſtatu Regnum Dei in

alijs

alijs propagare,fouereq; debent;& liberi etiam à ſeruitute temporalium Dominorum eſſe debẽt. Et hoc Saluatoris doctrinæ conſonat dum Petrum Apoſtolum liberum inſinuat.

Præter hoc teſtimonium alterum extat apud eundem cap.22.& Lucam 20.ex quo perſonarum, ac rerum omnium eccleſiaſticarum immunitatem educimus, vnumquè ex ijs eſt,quibus perperàm intellectis eadem impugnatur; vt igitur ſuis armis aduerſarios confodiamus, ex verbis Domini ad Phariſæorum diſcipulos. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari,& quæ ſunt Dei Deo*, hanc libertatem ita oſtendimus.

Iuris diuini eſt, vt ea, quę Dei ſunt, laicorum hominũ poteſtati, etiamſi in Republica, aut Regno ſint Principes, non ſubdantur: atqui res, & perſonæ Eccleſiaſticæ Dei ſunt, ergo Iuris diuini eſt, vt nullius laici hominis poteſtati ſubijciantur.

Maioris veritas pendet ex Euangel:o. Etenim, ſi præcipit Chriſtus, vt quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddantur, quæ Dei Deo; ſequitur quæ Dei ſunt tradi Cęſari non debere,& conſequenter eidem non ſubijci, aliàs vana hæc diſtinctio videretur, quod ſcilicet, quæ Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo reddantur.

Minor autẽm, preterquàmquod perſpicua eſſe poteſt ex rationibus,quæ in primę Concluſionis Diſputationis tertiæ probationem adductæ fuere, adhuc probatur.

Primùm ex 39. Canone Apoſtolorum cuius verba ſunt hæc. Omnium negociorum Eccleſiaſticorũ curam Epiſcopus habeat,& ea velut Deo contemplante diſpenſet, nec ei liceat ex his aliquid omninò cõtingere,aut parentibus proprijs *quæ Dei ſunt* condonare. Conc to.1 12.qu.2.c. Quiſquis. Decr. Epi.

Deinde ex Lucio primo in vnica,quæ extat, Epiſt. ad Galliæ,& Hiſpaniæ Epiſcopos. Qui *Chriſti* pecunias to.1. 12.q.2. ca. Qui Xpi.

nias, & Eccleſiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida in conſpectu iuſti Iudicis eſſe deputabitur.

12 qu.2. c. Nulli liceat. Tandem ex Bonifacio primo qui inquit. Nulli liceat ignorare omne, quod Domino conſecratur ſiuè fuerit homo, ſiuè animal, ſiuè ager vel quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctū ſanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotū; propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui à Domino, & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, inuadit, vel eripit, & vſque ad emendationem, Eccleſięquè ſatisfactionem, vt ſacrilegus iudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur. Ex quibus verbis apertè colligimus res, & perſonas Eccleſiaſticas, cum Deo ſpeciatim addictæ ſint, Dei ipſius eſſe; quod ſi vtraque Dei ſunt, Deo tantùm reddantur, eiquè vni ſubijciantur oportet.

Neque obſtat, quod pars facultatum Eccleſiæ Clericis diſtribuatur; vel quod ijdem à ſuis Prępoſitis iudicentur; non prius, quia cum Dei ſeruitio cōſecrentur, ęquum eſt, vt ſumptibus Eccleſiæ cultus, & victus

Conc. to.1. eis ſuppeditetur, ita colligitur ex 40. Canone Apoſtolorum 12.q.1.cap. Ex his autem; imò docet Apoſtolus 1. ad Corinth. ca. 9. *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant*, & meritò quidem, etenim *quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* non poſterius; quia Clerici inferiores à ſuperioribus iudicātur, & puniuntur, tamquàm miniſtris, quibus cæterorum cura à Deo concredita eſt.

Tertia Concluſio. Eccleſiaſticas perſonas, & facultates eſſe diuino Iure immunes aſſerunt Concilia, & Summi Pontificis.

Conc. to.2. Primò. In Concilio Rom. 3. Sub Symacho aliàs allegato cap. 3. hæc verba leguntur.

Modis omnibus in Synodali Conuentu prouida Beatitudinis veſtrę ſententia eneruari conueniebat,& irritum deduci Baſilij vicē Regis Odoacri agentis decretū de nō alienandis bonis Eccleſiaſticis, ne in exēplū remaneret præſumendi quibuslibet laicis,quamuis religioſis,vel potentibus in quacūq; ciuitate quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi indiſcuſsè *à Deo* cura commiſſa docetur.

Idem in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. expreſſum habemus; ibi enim ſacra Synodus volens Clericos non teneri laicis obedire, niſi aliquod temporale poſſideant,ratione cuius præſtare oporteat iuramentum fidelitatis, laicos ait, quod diuini Iuris eſt vſurpare,ſi tale iuramentum ab alijs exigant,qui nihil huiuſmodi habeant. Concilij verba cap.43.hæc ſunt. Nimis *de Iure diuino* quidam laici vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale detinentes ab eis ad prǽſtandum ſibi fidelitatis iuramēta cōpellūt.Quia verò ſecundum Apoſtolum ſeruus ſuo Domino ſtat,aut cadit, ſacri authoritate Concilij prohibemus, ne tales Clerici perſonis ſecularibus præſtare cogantur huiuſmodi iuramentum. Conc. to.3 Ca. Nimis de iuretiur.

Et in Concilio Lateranēſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. in Reformatione Curiæ, & aliorum idem apertiſſimis verbis exprimitur. Conc to.4

Cum enim fructuum Eccleſiarū plenariam diſpoſitionem,& adminiſtrationem ad Romanū Pontificē, & eos, qui eas Eccleſias obtinent, pertinere edocuiſſet; ſubdit ſecularesq; Principes *omni etiàm diuino Iure id prohibēte* dictis Eccleſijs, Monaſterijs, & beneficijs intromittere ſe nullatenus debeant; ſtatuimus &c. (& infra(Et cum à Iure tàm diuino,quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, Innouamus omnes, &c.

Ibidem. Et in Concilio Colonienſi par.x.cap. 20. Eccleſiaſticorũ exemptio luculenter exprimitur. Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt Iure pariter diuino, ac humano introducta.

Ibidem. Demùm Tridẽtina Synodus ſeſſ. 25.de Reformat. cap. 20. Seculares Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos vt catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæquè Protectores eſſe voluit ius ſuum Eccleſię reſtitui non tãtùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum Parochos,& ſuperiores Ordines reuerentiam reuocaturos, nec permiſsuros, vt Officiales, aut inferiores Magiſtratus Eccleſiæ, & Perſonarum Eccleſiaſticarũ immunitatem *Dei ordinatione*, & canonicis ſanctionibus conſtitutam aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent.

Ep. Decret. to.3. Inter Pontifices Ioan.VIII. hoc quoq; teſtatur,Nõ à legibus publicis,nõ à poteſtatibus ſeculi,ſed à Pontificibus,& Sacerdotibus *Omnipotens Deus* Chriſtianæ Religionis Clericos,& Sacerdotes voluit ordinari,& diſcuti, recipiq; de errore remeantes: Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus,non præferre.

Diſt. 96. c. Si Imperator.

11.qu.1. c. Syluester. Et Gelaſius Secundus ad Chriſpinum, & Sabinũ Epiſcopos hoc idem ſignificaſſe videtur. Quoniàm inquit, ſe (.i. Silueſtrum, & Fauſtinianum Clericos) etiam ab Archidiacono dictæ Eccleſiæ queruntur oppreſſos, qui per eorum abſentiam moderatoris iudiciũ promiſit eos eſſe ſecuturos, calcatis omnibus rationibus,*& contra leges diuinas*,& publicas pulſatis forum ſuum putauit auferri, in veſtro iudicio, quiſquis ille eſt,qui Clericũ laceſſit, adueniat:vt Eccleſiæ iura, quæ vetuſti principes aſſidua ſanctione firmauerunt, impetitis Clericis non negentur.

Ex-

Expreſſius tàm de perſonis, quàm de rebus loquitur Bonifacius VIII. Cùm igitur Eccleſiæ, eccleſiaſticæq; perſonæ ac res ipſarum non ſolùm iure humano, quinimò & *diuino* à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes, Conſtitution. &c. Ca. Quamquã de cenſibus in 6.

Gregorius autem lib. 7. epiſtola prima ad Sabinianũ, ad Imperatoris Comites, & Tribunos, qui etiàm ipſas Eccleſias ſub eius dictione poſitas eſſe dicebant, reſpondit, Si à me peteretur quod meum eſſet, ideſt fundum meũ, argentum meũ, ius huiuſmodi meum, me non refragraturum, quamquàm omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verùm ea, *quæ diuina ſunt* imperatoriç Maieſtati non eſſe ſubiecta. Si Patrimonium petitur, inuadite: Si corpus, occurram: vultis in vincula rapere, vultis in mortem, voluptati eſt mihi; nõ ego me vallabo circũfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratiùs immolabor. 23. q. 8. ca. Cõuenior

Verùm prioris ſententiæ defenſores varijs reſponſionibus hæc refellunt: Nam Dominicus Soto loco adducto concluſ. 6. reſpondet Bonifacij dictum intelligi debere in cauſſis Eccleſiaſticis, vel certè quoad perſonas tantùm.

Sed hæc reſponſio ijſdem Bonifacij verbis reijcitur; qui diſertè aſſerit Clericorum perſonas, & bona à ſecularium Principum exactionibus vtroq; iure libera eſſe, vt patet.

Didacus Couarruuias in reſponſione ad tertiũ inquit, hic nomine Iuris diuini ius canonicum ſignificari, quod lato quodam dicendi modo ius diuinum appellari ſolet cap. cum de diuerſis de priui. li. in 6. ca. celebritatem de conſec. diſt. 3. cap. violatores. 25. qu. 1.

At ſolutio hæc redarguitur cũ ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. tùm ex Bonifacij Octaui conſtitu-

tione vbi cũ Iure tàm diuino, quàm humano libertas Eccleſiaſtica introducta eſſe dicatur, ius diuinum propriè, ac ſtrictè acceptum videtur; ſiquidèm nunquàm canonicum appellatur diuinum cũ ab humano diſtinguitur, vt in allegatis ſanctionibus diſtingui perſpicuè cernimus: eſt enim ius aliud diuinum, aliud humanum; diuini aliud reuelatum poſitiuũ, aliud naturale: humanum vero ſecernitur in canonicum, & ciuile: vnde cum diuino humanum opponitur, ſub illo canonicum comprehendi non poteſt. Hinc Ioa. Monachus in d. cap. cum de diuerſis, quod Couarruuias pro ſe allegat circa ea verba *vigeat ſtudium Iuris diuini, & humani, canonici videlicet, & ciuilis*, canonicum, & ciuile referendum ait ad verbũ *humani*, & diuinum propriè accipiendum.

Addo, quod cum in Concilio Lateranenſi dicatur *Omni etiàm diuino Iure id prohibente* nulla cauſſa eſt, cur diuinum ſtrictè ſumptum inde excludi debuerit.

Sed ad Concilium Tridentinum, vbi eccleſiaſticarum perſonarum libertas Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtituta aſſeueratur, quomodò hęc reſponſio aptari poſſit, planè non video.

Idem Couarruuias, & Ioan. Medina ad 6. afferũt aliam ſolutionem, ſcilicet, eà verba, quibus eccleſiaſtica immunitas Iuris diuini eſſe pronunciatur, referri debere ad veterem legem, & non ad Euangelicam, ad quam in hac difficultate eſt recurrendum, cũ hæc hodiè vim, & authoritatē habeat, & illa quoad præcepta cęremonialia, & iudicialia noua accedente, iàm iam ceſſarit.

Hęc reſponſio duplici de cauſſa refutatur: prior eſt: quia cum ius diuinum in reuelatum poſitiuum, & naturale diſtribuatur, vt talis libertas Iuris diuini eſſe probetur, ſatis eſt oſtendere, quod ſit ex naturali iure de-

prompta: quam rem in prima Concluſione docui-
us.

Poſterior verò, quia cum ex veteri lege nõ ſolùm,
d etiam ex Euangelicâ libertas huiuſmodi colliga-
r, vt in tertia planum fecimus; quid cauſſæ eſt cur
crarum Synodorum, atq; Summorum Pontificum
ſtimonia ea ratione debeant coarctari? Quæ cũ ita
it reliquum eſt; vt dicamus, Eccleſiaſticas perſonas,
facultates, a laicorum Principum poteſtate eſſe Iu-
diuino immunes, aſſeruiſſe Concilia, & Summos
ontifices.

Quibus liceat mihi religioſiſſimi, ac munificentiſſi-
i ſimul Imperatoris adiungere teſtimonium.

Conſtantinus enim vir ſanè, quem mũdani Princi-
es, & admirentur, & imitentur digniſſimus, cum ab
piſcopis, qui ad Nicænum Concilium frequentes
onuenerant ei offerrentur pleni querimoniarum, &
rgiorum libelli, eoſq; ſuſceptos in ſinu clauſos ab-
idiſſet, Deus, inquit, vos conſtituit Sacerdotes, &
oteſtatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, &
leo nos à vobis rectè iudicamur; *vos autem non poteſtis
b hominibus iudicari*: propter quod *Dei ſolius* inter vos
xpectate iudicium; & veſtra iurgia quæcumq; ſunt
d illud diuinum reſeruentur examen. Vos etenim à
Deo nobis dati eſtis Dij, & conueniens nõ eſt vt ho-
no iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt,
Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem
Deos diſcernit: ità apud Ruff. lib. 1. hiſt. cap. 2. & So-
omen. lib. 1. cap. 16. & 11. q. 1. cap. Sacerdotibus. &
12. q. 1. cap. futuram.

Verùm Theologus ſine nominè in primæ propoſi-
ionis part. 5. ſe hoc facile eluſiſſe arbitratur, cum in-
quit. *Loquendi ratio hæc innuit pietatis exceſſum; non au-
em quod ita ſentiret: etenim, ſi ea quæ dixit, vera omninò
eſſent,*

eſſent, neque à ſuis Præpoſitis poſſent eccleſiaſtici iudicari, quia, inquit, ad Dei iudicium reſeruamini; quod tamen falſum eſſe quis eſt, qui neſciat?

Reijcit hoc Illuſtriſſimus Bellarminus vt abſonū, & à mente tanti Principis alienum, ac ſimul oſtendit Sacerdotes in ſacris literis Deos appellari conſueuiſſe, quæ; quia nota, non repeto.

Sed addo verba illa *Dei ſolius inter vos expectate iudicium*, poſſe habere duplicem ſenſum; Vnum, quod ſi Eccleſiaſtici viri delinquant ad Dei immediatum iudicium ſic reſeruentur, vt à ſuis Prælatis non poſſint iudicari, dum viuunt; & in hoc ſenſu, qui eſt contra Imperatoris ſententiam, falſa eſt Propoſitio: habent enim (vt inquiunt Valentinianus, Theodoſius, & Archadius 11. q.1.cap.continua) illi ſuos iudices.

Alterum, quod à Deo quidem, ſed mediatè, ideſt per ſuos Præpoſitos, qui ſunt miniſtri diuinæ iuſtitiæ puniantur: & in hoc ſenſu, quem Theologus ille non animaduertit, nullam patitur difficultatem.

Epiſt.decr. to. 2. 11.qu.1.c. Sacerdotibus. Quod autem Conſtantinus ità ſentiret, teſtem appello Magnum Gregoriū qui lib.4.epiſt.31. ad Mauritium Auguſtum, inquit, Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria, quod cum piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto oblatę accuſationes cōtra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerunt, Epiſcopos conuocans, in eorum cōſpectu libellos, quos acceperat, incendit dicens, Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti; *Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite*; quia dignum non eſt, vt iudicemus Deos.

Quid enim aliud ſignificāt ea verba, *Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite*, quàm Conſtantinum verè exiſtimaſſe Clericos à ſuis Prælatis poſſe puniri, & iudicari?

Quod

Quod verò nõ per exceſſum (vt inquit) ſed áſse- erãter locutus fuerit, Gregorius Septimus lib. 8. epi. 1. clarè teſtatur cum inquit. Conſtantinus Magnus nperator omnium Regũ, & Principum, ferè totius rbis Dominus euidenter intelligens in ſancta Synoo Nicæna, poſt omnes Epiſcopos vltimus reſidens, ullam iudicij ſententiam ſuper eos dare prǽſumpſit, d illos etiàm Deos vocans *non ſuo debere ſubeſſe iudiio*, verùm ſe ad illorum pendere arbitrium iudicauit. Decr. Epiſ. to. 3.

Idem colligitur ex ijs, quæ libro 4. polyc. cap. 3. abet Ioa. Seresbergius Anglus Carnothenſis Epiſco us, quem circiter Annum Domini 1182. vixiſſe ſcriit Antonius Poſſeuinus Apparatu ſacri tomo ſecuno. Sed & libellos inſcriptionum, quos ad inuicẽ coneptos Sacerdotum crimina continentes Imperatori orrexerat, ſuſcepit quidem, clauſoſq; repoſuit in ſiu ſuo. Cum autèm eoſdem ad charitatem, & cõcoriam reuocaſſet, dixit *ſibi tamquàm homini*, & qui iuicio ſubiacet Sacerdotum *illicitum eſſe Deorum examiare cauſſas*, qui non poſſent, niſi à ſolo Deo iudicari.

His expeditis ſupereſt modò, vt argumenta, quæ auent priori ſententię, diluamus.

Ad Primum reſpondetur ex his, quæ Quodlib. 6. .23. tradidit Henricus Gandauenſis noſtri Inſtitui profeſſor (vt quidam arbitrantur, & refert in ſuo pparatu Antonius Poſſeuinus to. 2.) Sacerdotes tẽore legis Naturæ à Regum ſubiectione liberos non uiſſe; quia poteſtas Eccleſiaſtica, & Secularis ea temeſtate non diſtinguebantur: ſed concurrente ſimul egno, & ſacerdotio omnes primogeniti Regũ erant ummi Sacerdotes, & Reges; hinc vtriuſq; generis ominibus, ſcilicet Laicis, & Sacerdotibus meritò nperabant. Quod, vt oſtendam, detur mihi, vt parũ agetur oratio, & ex multis leuiter aliqua tangam.

Et

Et primùm, licet Adamũ Sacerdotem fuiſſe ex ſacra pagina apertè non conſtet, poſſumus tamen ità ſuadere. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* ad Hebr. cap. 5. Atqui eum cruenta ſacrificia conſtituiſſe, quibus Chriſti paſſio præmonſtraretur, delerentur peccata, & conciliaretur Deus hominibus, tradunt D. Ioan. Chryſoſt. in 4. ca. Geneſ. Caſſianus collat. 8. cap. 23. Hugo Victorinus in ſuis adnotationibus in Geneſ. cap. allegato, & D. Th. 2. 2. q. 85. ar. 1. & 2. quarè primum parentem ſummum totiùs poſteritatis Sacerdotem fuiſſe dicamus oportet.

Gen. 4. Huc accedit, quod cũ legamus Abel, & Cain Deo ſacrificia obtuliſſe; par eſt, vt credamus feciſſe id à patre edoctos: ità aſſerunt Alfonſus Toſtatus in expoſit. eiuſdem ca. quæſt. 4. & Benedictus Pererius Comm. in Geneſ. lib. 7. verſ. 4. (Tom. 1.) Adamo iure naturæ in vtraque dignitate debuit ſuccedere Cain, ad quem ſpectabat, vt primogenitum; verum ob fratricidium à Sacerdotij, ac Regni Principatu reiectus eſt. Eo excluſo, politicum regimen, & Sacerdotiũ tenuere primùm tertio loco genitus Seth, deinde Enos, Cainam, Malaleel, Iared, Enoch, Mathuſala, Lamech annos ab ortu mundi ad obitum Lamech genitoris Noe mille ſex centos quinquaginta ſex, vt colligit Pererius loco citato de Chronologia ſacrę Scripturę quęſt. prima. Noe dehinc Abraham, Iſaac, & Iacob ſuis præfuere tàm in his, quę ad Religionem; quàm quæ ad vitam politicam attinebant. Quod ſi nunquam in ſacris literis proditum ſit aliquot ex his, vt Adamũ, & Iſaac, Deo ſacrificaſſe, mirum eſſe non debet: quia, vt tradit D. Tho. loco adducto, eorum dumtaxat in ſacra hiſtoria ſacrificia memorantur, in quibus euenit aliquod diuini-

nitùs admodum memorabile. Quod Melchiſedech
acerdos eſſet, & Rex, ſcriptum habemus Gen. 14.&
fert D. Paulus ſcribēs ad Hebr. cap. 7. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi, &c.*

His addo, nō ſolùm tempore legis Naturæ, ſed etiā
riptę vſq; ad Saulum primum Regem Hebræorum
ontigiſſe vni, Deo ſic ſtatuente, vtramq; poteſtatem;
in veteri teſtamento compertū eſt; at Samuele ad- Reg. 1.
uc ſuperſtite, ipſi petierunt Regem, & Saulem obti-
iere; quo tempore eccleſiaſticæ, & ciuilis admini-
rationis diſtinctio apud Hebræos exorta eſt. Hęc ad-
otaſſe volui, vt euidētiùs pateat, quàm leue ſit argu-
entum, quod primo loco Medina in ſuæ ſententiæ
onfirmationem adducit: Etenim, ſi ea tempeſtate
nius gubernatione res ſacrę, & politicæ regebantur:
uid mirū eſt Sacerdotes inferioris ordinis ſuis Prin-
pibus fuiſſe ſubiectos?

Ad Secundum Illuſtriſſimus Bellarminus tùm in
ſponſione ad partic. tertiam primæ propo. Theolo-
nullius nominis, tùm in Contro. to. 1. lib. 4. de Ver
Dei interpretat. c. 4. reſpondet Moyſen fuiſſe Pon- [illegible]
ficem, & quidem ſummum, & Aarone maiorem, nō
uidèm ordinarium, cui ſuccederetur, ſed extraordi-
rium à Deo ſpecialiter inſtitutum. Quod autè n
rè, & propriè Sacerdos fuerit probat tùm ex ſa-
is literis, tùm ex Patribus, vt citatis locis videre
.

Addo; quod idem teſtantur R. Ionatham, R. Ioſè,
Ioſuè, R. Berechia, quos refert, & ſequitur Gene-
ardus in Pſal. 98. ſub explicatione verborum *Moy-
, & Aarō in Sacerdotibus eius.* Leo Magnus epiſt. 88.
Vniuerſę Germaniæ atque Galliæ Eccleſiarū Epi-
opos. Ludulphus Carth. in explicatione eius loci. Ops. to. 2.
annes de Turrecrem. ibidem. Et Nauar. releċt. cap.

Nouit de Iudic. notab. tertio num. 77.

Tertium diluit Ariſt.1.Poſteriorum c.4.dùm oſtendens, quid ſit dici de omni, redarguit maiorem propoſitionem, cuius prædicatum de omni, quod ſubijcitur, non prædicatur. Signum verò eſt, quia etſi Clerici ab ijs, qui iudicium Dei exercẽt, iudicari debeãt, non tamen ab omnibus, ſed ab ijs tantùm, quibus ſubduntur: vtriq; enim Eccleſiaſtici, & ſeculares iudices Dei iudiciũ faciũt, quia à Deo eſt omnis poteſtas, ad Ro.c.13.ſed illi iudicant Clericos, hi verò laicos.

Ad Quartum ex noua lege deſumptum reſpondetur; quod etſi Phariſæi diſcipulos ſuos miſerint ad Chriſtum, vt ex eo quærerent, an Tiberio Cæſari liceret tributum annuum pendere (illud ſcilicet quod à Pompeio, vel Auguſto in ſingula capita impoſitum fuerat) non tamen de ſe ipſis dumtaxat loquebantur, ſed in vniuerſùm interrogarunt, Nùm tenerẽtur Iudæi ad hunc cenſum Romanis Imperatoribus perſoluendum: erat .n. (vt inquit D. Hieronymus ſuper ea verba *Tunc abeuntes Phariſæi*) in populo magna ſeditio, dicentibus alijs pro ſecuritate, & quiete, qua Romani pro omnibus militarent, debere tributa perſolui. Phariſæis, verò qui ſibi applaudebant in iuſtitia, è contrario nitentibus non debere populum Dei humanis legibus ſubiacere. Quarè cum reſpondet Dominus. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, non iubet Sacerdotes laicis tributa perſoluere, ſed Iudaicum populum Romano Cæſari; Principibus enim vectigalia, & tributa ſoluenda ſunt ab ijs, qui eorũ poteſtati, ac iuriſdictioni ſubduntur. Hinc D. Paulus ad Romanos 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*

Oper.to.9

Quintum ſoluit Illuſtriſs. Bellarminus in reſpõſione ad ſecundæ propoſit. partic. 1. duplici reſponſione

;, & fuſis in Controuerſ. to. 1. de Rom. Pontif. lib. 2 de
ad primum; formaliter verò dicimus, eſſe duplex
poteſtas, vna Facti, altera Iuris; illa Tyrannorum,
uam ſibi vſurpant, & à Deo permittitur, hęc Princi-
m, quæ illis à Deo tribuitur. Pilatum habuiſſe po-
ſtatem in Chriſtum Facti non Iuris: facti quidem,
ia in ipſius condemnatione eà abuſus eſt; non Iu-
; tùm quia poteſtas, quam illi dederat Cæſar erat in
ndemnandis reis, non innocentibus exercēda, tùm
ia Chriſtus ratione ſuæ nobilitatis, & excellentiæ
s poteſtati non ſubdebatur. Hinc Hugo Cardina-
ſuper ea verba *Niſi tibi datū eſſet deſuper*, inquit *da-*
m. i. conceſſum, vel permiſſum *deſuper*, à Deo, à quo
teſtas datur, abuſio verò poteſtatis non datur; ſed
rmittitur. quarè cum quæſtio ſit de poteſtate Iuris
n facti; hæc authoritas pro confirmatione prioris
ntentiæ in caſsúm adducitur.
Ad Sextum cum eodem in reſponſione ad propoſi-
nis quintæ partic. 3. & Controuerſ. loco citatò ad
undum, ex Turrecremata de Eccl. lib. 2. cap. 96. Si
Paulus Petrum Summum Pontificem, & non Cæ-
em (Neronem ſ. impuriſſimū hominem) appel-
ſſet, huiuſmodi appellationem haud ſine riſu exce-
m minimè admiſiſſet) cū apud Gentes D. Petri nō
noſceretur poteſtas. Quarè Cæſari ſubiecit ſe de fa-
, & non de iure.
Addo ex eodē Turrecremata ibidem ad tertiū, Pau-
appellaſſe iudicem non ſuum, ſed illius à quo pa-
batur iniuriam; neque præ timore operā fugæ præ-
ſſe, ſed potiùs fugam iſtam habuiſſe pro paleſtra,
editatione aduerſus mortem: vt colligit D. Atha. Ope. to. 1.
ol. pro fuga ſua, atq; (vt Auguſt. Epiſt. 50. loquitur) Ope. to. 2.
vitæ ſuæ, ſed Eccleſiæ conſuluiſſe.
Prętereà; quod D. Paulus apud illum, quem accu-

ſabatur Iuſiſſe, iudicari voluerit Chryſoſt. Hom. 7.
Oper. to. 5. de laudibus D. Pauli ſummam in eo conſtantiam depræhendit.

Fruſtra igitur elaborauit Theologus ſine nomine in his & alijs huiuſmodi, quę ad rem non faciunt, congerendis.

In reſponſione ad Septimũ ſi diutiùs immorer, venia poſcenti detur: quia, cum Theologus ille perperã intellectam hãc D. Pauli authoritatem *Omnis anima potestatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, in principio libelli, veluti ſuæ doctrinæ firmiſſimum fundamentum, poſuerit, paulò accuratiùs eſt expendenda. Fundamento enim diruto totum ædificium, cui innititur, corruat neceſſe eſt.

Et primùm iuxta illud documentũ D. Hylarij 4. de Trinitate, Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi; videamus, cur D. Paulus ſcribens ad Ro. pręcipiat eos Principũ poteſtati ſubiectos eſſe.

Magiſter ſententiarum, D. Th. & Sedulius in huius loci expoſitione animaduertunt; quòd cum in Eccleſiæ primordijs fideles quidam arbitrarentur terrenis poteſtatibus ſe ſubijciendos nõ eſſe propter libertatem, quã à Chriſto cõſecuti fuere iuxta illud D. Ioa. 8. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis*; quaſi Chriſtiana libertas eſſet carnis, & non ſpiritus; D. Paulus eos redarguẽs *Omnis anima*, inquit, *poteſta. &c.* Quibus verbis nẽdũ carpit hæreſim Gaulonitarum (de qua Ioſephus lib. 18. antiqu. cap. 1. & 2.) à Iuda quodam Gaulonita exortã negante Cæſari, aut profanis vllis Principibus tributum, & obedientiam pręſtari debere, ſed reprimit temeritatem Ruſticorum Germanię, qui cõtra viros nobiles conſpirarunt, quorum ob eam rationem grãdes ſtrages factas fuiſſe, & pluſquam centum millia hominum trucidata aſſerit Gabriel Prateolus

de

de Hæreticis libro primo ver. Anabaptiſtæ.

Neque ſibi contrarius eſt D. Paulus, qui prima ad Corinth.c. 6. Chriſtianorum recurſum ad Ethnicorũ tribunalia deteſtatur ſub his verbis. *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* diuerſa enim cauſa loquendi parit diuerſam intelligentiam. Romanis iubet, vt ſubditi ſint Principibus, eiſque pareant in temporarijs rebus, vt in præſtanda obedientia, ac cenſu perſoluẽdo: hos verò acriter reprehendit: quia cum inter fideles quandoq; controuerſiæ orirentur, & Corinthij vrbs partim Chriſtianã fidem profiteretur, partim verò nõ, ac duplicis generis Tribunalia eſſent Fidelium ſcilicet, & Ethnicorum; Chriſtiani, qui potius ad infidelium, quàm ad ſuorum iudicia accurrebant; grauẽ ſcandali occaſionẽ etiã ipſis Ethnicis dabãt; vnde maxima cũ acerbitatẽ animi Corĩthios arguit *Audet aliqs.*

Quod verò dicunt, Paulum excludere neminem ab eiuſmodi ſubiectione quaſi Clerici non ſecus ac Laici temporaneis Principibus ſubditi eſſe debeant, primũ obſeruo, huiuſmodi errorẽ non eſſe recentẽ, ſed à veteribus hæreticis introductũ, vt affirmant Ioa. de Turrecre. & alij, referente Illuſtriſſimo Bellarmino Controu. loco citato, renouatum ſuperiori ſeculo à Lutheranis. Etenim Petrus Martyr ad cap. 13. epiſt. ad Roman. Principes non potuiſſe, ait, concedere Clericis priuilegium, ne ſubijcerẽtur magiſtratibus politicis; cum id ſit contra Ius diuinum; & ideò non obſtante conſtitutione Principum debere Clericos ſubiectos eſſe magiſtratibus ſecularibus: cuius doctrinam auidè ſe imbibiſſe oſtendit Theologus abſq; nomine, vt notat idem Bellarminus ad reſponſionem quintæ propoſitionis partic. vltima.

Quod ſi præter Martyrem alios Collegas deſiderat;

adeſt Caluinus, Hereſiarca inſignis qui lib. 4. Inſt. c. 11.
§. 15. docet Clericos omnes præterquam in cauſis ec-
cleſiaſticis ſubiectos eſſe debere legibus, & tribunali-
bus ſecularium magiſtratuum: & ante ipſum Ioann.
Brentius in Prolegomenis, atq; Philippus Melācthon
in locis communibus, necnon alij huius generis ho-
mines peſtilentes contendūt, Reges, & Principes ſe-
culares non ſolum ad ciuilia tribunalia Clericos tra-
Pſal. 41. here poſſe; ſed (*quia Abyſſus Abyſſum inuocat*) iudices
eſſe Religionis, ad eos, vt ad præcipua membra perti-
nere iudicare controuerſias fidei, præſidere Concilijs
generalibus, conſtituere miniſtros, paſtores, & ſimi-
lia. Quod & re ipſa præſtitit infœlix Henricus VIII.
Angliæ Rex, quondam catholicæ fidei contra Luthe-
rum ſtudioſiſſimus propugnator, deinde oppugnator
acerrimus; qui (referēte Nicolao Sandero de Viſibi-
li Monarchia Eccleſiæ lib. 2. cap. 2.) ſe ipſum appella-
uit totius Anglicanæ, & Hibernicæ Eccleſiæ ſummū
caput immediatè ſub Chriſto: quem mox ſecuta eſt
impia fœmina Eliſabet Regina eiuſdem Regni, ex eo-
demq; monſtro progenita, quæ ſe ipſam inſcripſit, te-
ſte eodem Sandero, Eccleſiæ gubernatricem in omni-
bus rebus, & cauſis, tàm eccleſiaſticis, quàm ſecula-
ribus. En igitur quò tandèm impij politici; & Pſeu-
dotheologi trahant miſeros, & incautos Principes dū
frequenter ea verba occinunt, vt illos habeant ſuæ
impietatis patronos, & defenſores.

Alterū pro reſpōſione ad difficultatē aduerto, quod
cum agnoſceret D. Paulus Eccleſiam Dei, quæ tūc flo-
rere incæperat, facilè ad interitum poſſe reduci, ſi
Principum legibus, & poteſtati ſinguli fideles nō pa-
ruiſſent; dixit in vniuerſum *omnis anima, &c.*

Et confirmatur, quia tempore D. Pauli multa noua
prodiebant, & Duces, vrbiumq; Præfecti de Rerum-
pu-

publicarum, at Regnorum euerſione (vt in nouitatibus accidit) ſubdubitantes, in Chriſtianos malè affecti erant: falsò .n. arguebantur, quod eſſent rerum nouarum cupidi tanquam hoſtes, & rebelles Romani Imperij, quos tuetur egregiè Tertullianus in lib. Apologetico, & lib. ad Præſidem Scapulam; hinc D. Paulus, vt ex animis terrenorum Principum ſcrupulum hunc euelleret dixit *Omnis anima*, *&c.*

Vnde Sancti Patres, qui volunt hæc D. Pauli verba pertinere tantùm ad poteſtatem ethnicorum, in eo ſenſu intelligi debent: Horum vnus eſt D. Baſilius, qui Monaſticarum conſtitutionũ 23. Doceamus (ait) quàm magna ea obedientia ſit, quam erga Antiſtites ſuos Religionis veræ præſtare cultores debent, eiuſq; magnitudinem non aliundè explicare adnitar, quàm ex ſanctæ Scripturæ authoritate, Paulus Apoſtolus in ea epiſtola, quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit, vt excellentioribus illi poteſtatibus omnibus ſudditi ſint, poteſtatibus (inquam) mundi non ſpiritualibus. Et quoniàm ſupreſſi nominis doctor tantam vim facit his D. Pauli verbis, vt Clericos Laicorum Principum ſubijciat poteſtati, eorumquè ſtatutis, non ſecus ac ſubditos, quò diſcat, quid ex ijſdem verbis Principibus debeat perſuadere circa obedientiam ſacris Antiſtibus exhibendam; audiat quomodo D. Baſilius loco citato ex ijs argumentetur. Si igitur, qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illam imperandi facultatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantoperè voluit eſse ſubiectos, & (quod maius eſt) quorũ vita tota tunc erat impietas; quàm magna tandèm ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes ſit, & imperandi poteſtatem à legibus illius acceperit? & qui defendi poteſt eum non Dei ordinationi reſiſtere, qui Antiſtiti

reſiſtat

reſiſtat ſuo? præſertim cum apertiſſimè Apoſtolus iubeat omni in re parendũ eſſe ſpiritualibus Præpoſitis.

Aliter eundem locum exponit Illuſtriſſimus Bellarminus Cõtrou.loco citato ad tertiũ,& Felicianus Capitonus Auenionenſis Archiepiſcopus explicat. cath. par.3.explicatione 25. ſcilicet, Hæc verba generalia eſſe, quibus Apoſtolus hortatur omnes ſubditos, vt pareant ſuis Superioribus tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & inde non poſſe educi Clericos ſubiectos eſse Principibus laicis; ſed tantùm qui ſubiectus eſt, ſuo Superiori debere obedientiam. Vnde qui
Ope.to.13 vrgent hunc locum Pauli oportet (inquit Alphonſus Salmeron in eius loci expoſitione) eos priùs oſtẽdere, quod reſpectu Clericorum Laici Principes ſint *poteſtates*, & tunc eorum ſubiectionem concludere.

Quod verò ſententia illa generalis ſit, probat idem Bellarminus: quia cum Paulus ait *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, non reſtringit ſermonẽ ad poteſtatem ſecularem; ſed loquitur de omni: neque obſtat exemplum de Regibus, qui gladium portãt, nam diligẽtiùs, & expreſſiùs voluit Paulus de Rege loqui, quia eo tempore rebellionis accuſabantur. Quocirca generaliter cõcludit *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem.* Quapropter D. Bernardus in epiſtola 183. ad Conradum Imperatorem, legi, inquit, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, quam ſententiam cupio vos cuſtodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.

Quod dictũ Theologus innominatus, cum ad ſuum inſtitutum non faceret, haud protulit ad illud *Omnis anima, &c.* cũ tamen facilè videre potuerit apud Bellarminum, cuius doctrina ſemel, & iterùm abutitur

potiùs, quàm vtatur: ibi enim recenſet vbi eadem argumēta proponit, & di[...]r, ſed potiùs verba D. Chryſ. q[...] primò aſpectu ſuę doctrinę cōſētanea eſſe vidētur.

Verùm quomodò ipſe, atq; Theophylactus intelligi debeant Salmeron, quem ſupra citauimus, in expoſitione primæ ad Corinth. cap. 6. diſput. 9. oſtendit, cū inquit, eorum verba referenda eſſe ad illud tempus, quando ſuprema poteſtas regia, vel imperatoria nondùm erat cum chriſtiana coniuncta, & incorporata; quia tunc meritò omnes erant ſub Cæſare quantùm ad bona temporalia, & corpora, non autem quantùm ad fidē, & ſpiritualia bona: ex quibus colligitur, quod etſi daremus ea tempeſtate Clericos ſubdi in temporarijs Principibus ethnicis, nō tamen inde poſſe educi etiàm Chriſtianis ſubiectos eſſe oportere. Ope. to. 14.

Sed dicamus cum Illuſtriſſimo Bellarmino in reſponſione ad dictum Theologum propoſitionis primæ parti. 2. eos loqui de ijs legibus Principum laicorum, quæ ſpectant ad regimen Vrbium, ſiuè Prouinciæ, & ſacris canonibus, atq; clericali officio non aduerſantur: quibus tamen vi rationis, non legis Clericos obedire debere in ſecundæ diſputationis concluſione quarta docuimus.

Ex dictis octauum, nonum, decimum, & vndecimum argumentum facilè diluuntur.

Ad Octauum enim dicitur, qui ſubditus eſt Principi, & eius poteſtati non paret, Dei ordinationi reſiſtere; qui autem eius poteſtati non ſubiacet, eius legibus non ligat: nam alioqui, ſi quiſq; legibus cuiuſcunq; legiſlatoris poteſtatem habentis ſubditur, cur Rex Hiſpaniæ Gallis non imperat; & Veneti omnibus Italis?

Ad Nonum reſpondemus, vel ea verba referri ad eos, qui Principibus ſubditi ſunt, quos cenſum pen-

dere oportet; vel, ſi referantur etiam ad Sacerdotes, ea tempeſtate ſic fieri oportuiſſe, vt dictum eſt.

Ad Decimum reſpõdetur eodem modo. Sed quoniam aduerſarij magnam vim facere ſolẽt his verbis: idcircò accuratiùs ea perpendere arbitror nõ fore ab re; hinc enim cuiq; perſpicuum fiet, quam parùm ad inſtitutum probandum accomodata ſint.

Innocentius Tertius Pontifex Max. cum ab Imperatore Conſtantinopolitano, quem ſuis literis increpauerat, ei obijcerentur hęc verba, reſpondit Diuum Petrum de humilitatis ſubiectione locutum eſſe; aliàs cum eos, ad quos ſcribebat, vellet non tantùm regibus, ſed omni humanę creaturę eſſe ſubiectos, ſequeretur eccleſiaſticos viros etiam ſub deſpectiſſimi cuiuſq; hominum generis poteſtate cõſtituẽdos; quod quàm ſit abſurdum, vel qui contradicunt, intelligũt.

Innocentij verba cap. Solitæ de maior. & obed. hęc ſunt. Si perſonam loquentis & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentiùs attendiſſes, ſcribentis non expreſſiſſes taliter intellectum. Scribebat enim Apoſtolus ſubditis ſuis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat: nam, ſi per hoc quod dixit *Subditi eſtote*, Sacerdotibus voluit imponere iugum ſubiectionis, & eis prælationis authoritatem afferre, quibus eos ſubiectos eſſe monebat, ſequeretur ex hoc, quod etiam ſeruus quilibet in Sacerdotes imperium accepiſſet, cum dicatur *omni humana creatura*.

Eidem expoſitioni ſubſcribunt D. Tho. 2. 2. q. 16. ar. 3. ad primum. Dionyſius Carthuſianus, & Nicolaus Lyranus in Commentarijs huius capitis.

Monet me hic locus, vt animaduertam; quod etſi, cũ ratio flagitat, Epiſcopos deceat ſubdere ſe infimo, & ſordidiſſimo cuique, vt præter teſtimonium D. Petri paſſim diuinæ litteræ tradunt *Quanto maior es humilia*

ilia te in omnibus Eccl. 3. *Per charitatē ſeruite inuicē* ad
Galat. 5. *Nihil agatis per contentionem, neq; per inanem*
gloriam, ſed per humilitatem ſuperiores ſibi inuicem arbi-
trantes ad Philip. 2. & cōſonat actionibus Chriſti, qui,
um ſe ipſum nobis praeberet humilitatis exemplar
Qui maior eſt, inquit, *veſtrum ſit veſter miniſter.* Matth.
o. tamen cum de Epiſcopali agitur dignitate, nec non
uthoritas muneri ſacro adiuncta in dubium reuoca-
ur, contemnitur, eiq; legibus vel actionibus derogat-
ur; tunc ſubiectio cedat, vigeat ſacerdotalis, & Pon-
ificia maieſtas oportet; ne cum perſona munus de-
picatum ductum culpa alterius ſordeat.
Diuus Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, qui
dei ſuae teſtimoniū ſanguine obſignatum reliquit,
um apud Florentium Pupianum laicum hominem
quibuſdā obtrectatoribus multis criminibus argue-
etur, & illa vt iudex Pupianus cognoſcere vellet, ani-
nose, & fortiter reſtitit, eumq; humilitatem Sacer-
otibus obiectātem Epiſtola 69. Ibere increpauit his
erbis. Quod dixiſti Sacerdotes humiles eſſe debere, Ope.to. 1.
uia & Dominus, & Apoſtoli eius humiles fuerunt, aliàs lib. 4.
umilitatem meā, & fratres omnes, & gentiles quoq; Epiſt. 10.
orunt, & diligunt, & tu quoq; noueras, & diligebas,
m adhuc in Eccleſia eſſes, & mecū communicares.
uis autem noſtrum longè eſt ab humilitate; vtrum
e ego qui quotidiè fratribus ſeruio, & venientes
Eccleſiā ſingulos benignè, & cū voto, & gaudio ſu-
pio: an tu, qui te Epiſcopū Epiſcopi, & Iudicem Iu-
cis ad tempus à Deo dari conſtituis? (& infra) Quis
im hic eſt ſuperbiae tumor, quae arrogantia animi,
ae mentis inflatio ad cognitionem ſuam Praepoſitos,
Sacerdotes vocare?
Et de Martino Epiſcopo Turonenſi, cuius mirę hu-
ilitatis tot argumenta recenſentur in eius vita, Se-

uerus cap.23. hæc ſcribit, Cum ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatū plures è diuerſis partibus Epiſcopi cōueniſſent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, ſeq; degeneri inconſtantia clientelæ ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino apoſtolica authoritas permanebat: nam etſi pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit, imperauit potiùs, quàm rogauit, &c.

Leontius quoq; Tripolis Lydię Epiſcopus natione Myſus illuſtri exemplo teſtatum nobis reliquit, quid poſſit Epiſcopus apud laicos etiam Principes viros, imò quid debeat agere, cum de Epiſcopalis dignitatis imminutione timetur: ſic enim de eo Suidas. Concilio indicto, cum Euſebia Conſtantij vxor ſuperbia elata ab Epiſcopis adoraretur, ſolus eam adulationem aſpernatus domi manſit; at illa irritata, & animo inflammata mittit ad eum expoſtulatum, pollicitationibus etiàm hominē alliciens ſe Eccleſiam illi maximam extructuram eſſe, & affatim pecuniam præbituram. Cui ille hoc modo reſpondit. Iſtorum quidem ſi quid Imperatrix exequi volueris non tàm mihi te ſcito, quàm animæ tuę gratum facturam; ſi verò me ad te venire volueris debitam Epiſcopis reuerentiā conſeruato; vt ego quidem ingrediar, tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens reuerenter mihi obuiàm procedas, & caput meis manibus ſupponas benedictionem acceptura; ac deinde ego ſedeā; tu verecundè adſtes, cum iuſſero ſigno dato ſeſſura: ſi hæ (inquā) conditiones placuerint, ad te veniam; ſin alio modo, non tàm multa dabis, tàm magna non poteris; vt nos, honore Epiſcopis conueniente neglecto diuinum Sacerdotij inſtitutum violēmus.

Sed vt reuertar ad D. Petrū; quoniàm aliqui ſunt,

vt Beda, & Oecumenius; qui interpretãtur hunc locũ de ſubiectione, quę debetur ſuperioribus, & illud *omni humanæ creaturæ*, exponunt omni hominum dignitati, & principatui; nequa contradictionis ſuperſit occaſio; reſpondeo non idcircò poſſe concludi laicis Principibus ſubdi Clericos oportere: etenim ſermo vniuerſalis, ſi diuerſæ naturæ plura includat, ea reſpicit iuxta eorum diuerſitatem; ita qui dicit omnia animata viuere, non ſignificat viuere ſingula eodem modo, ſed quælibet ſigillatim ſuo, plantas, ſcilicet, vegetatiua; bruta ſenſitiua, homines vita intellectiua. Quarè cum monet D. Petrus, vt omnes tàm Sacerdotes, quàm Laici pareant humanis prę́ſidibus, nõ dicit parere omnes eadem ratione; ſed Clericos interdùm, ſi ratio exigat, ex humilitate, laicos ſẽper ex neceſſitate, dùm quod præcipitur non ſit contra diuinam legem, & eccleſiaſticas ſanctiones; Clericos ſtatutis politicis vi rationis, laicos vi legis; Clericos tandem voluit D. Petrus eã tempeſtate Ethnicorũ cedere poteſtati eandem ob cauſſam, qua D. Paulus: nè videlicet maiores turbæ excitarentur, atq; Chriſtiana religio periclitaretur; at laicos ad obedientiam ſuis Principibus exhibendam iure teneri.

Ad Vndecimum reſponſio patet, tùm ex his, tùm ex alijs, quæ in prima diſputatione animaduerſa fuere; nam, ſi de Ethnicis loquamur, eorum decretis, ſi non de iure, ſaltem de facto oportuit Clericos eſſe ſubiectos: ſi de Chriſtianis, dicendum eſt eorum ſanctiones eccleſiaſticos viros non obligare; quia ſubiecti eis non ſunt; vnde ſiquid contra eorum immunitatem ſanxère, vel expreſſè, vel tacitè ſpeciatim, aut in genere à Summo Pontifice derogatum eſt.

Ad Duodecimum, negatur conſequentia: Ratio eſt, quia homo ad fidem conuerſus poteſt etiam ſuo

Prin-

Principi inſeruire, coniugale debitum reddere, & æs alienum perſoluere; nec tamen impedimento hæc ſunt, quominus christianæ legis mandatis obediat, atque æternam beatitudinem conſequatur; imò poteſt etiam, ſi velit his faciendis mereri. At qui mundanis ſpretis illecebris Dei ſeruitio totus adijcitur, eo ipſo à veteri ſubiectione liberatur: quia non poſſet in Dei cultum veluti eius miniſter incumbere, & laico Principi inſeruire.

Addo ex Nauarro cap. Nouit de Iudic. notab. 6. nu. 30. quod idcircò à poteſtate laica eximit Clericatus, & nō baptiſmi character; quia hic nō eſt ſuapte natura diſtinctiuus, & diſcretiuus ab alijs Chriſtianis, ſed congregatiuus, ex Apoſtolo ad Rom. cap. 3. *Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci*, & cap. 12. *Multi vnum corpus ſumus in Christo*. Clericatus verò res diſtinctiua eſt iuxta illud D. Hieronymi ad quendam ſuum Leuitam de duobus generibus hominum relatum in ca. Duo ſunt 12. q. 1. Duo ſunt genera Chriſtianorum: eſt autèm vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare cōuenit, vt ſunt Clerici. Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, vt ſunt laici, &c.

Ad Tertiumdecimum ſolutio eſt in Diſputationis principio, vbi adnotauimus Summorum Pontificum ſanctiones pertinere ad Iuris diuini declarationē, non inſtitutionem. Imperatores autèm quicquid de hac re decreuere, fecerunt, vt Clericorum exemptio cuiq; comperta eſſet, eique nemo aduerſaretur.

Ad Quartumdecimum dicitur, quod ſi ex diuinis literis expreſsè conſtaret Clericorum immunitas; temerarium, & impium eſſet de ea quamminimū dubitare: at ſi nō per ſententias apertas, & verba expreſſa, certè per conſequentias ex ſacra pagina cōcludentes, id elici poſſe.

Ad

Ad Quinſumdecimum reſpondetur Iuris diuini, eſſe, ne laici Iudices Clericorum cauſſas per ſe, & ex propria authoritate cognoſcant; at ſi eis delegentur, tunc non procedere ex ſe ipſis, quaſi proprios, & ordinarios Iudices, ſed vt Miniſtros; quod iuri diuino non derogat.

Vnde Gloſ. ad illa verba Eugenij de Iudic. tit. 1. c. Decernimus. Sed Epiſcopi, Abbates, Archiepiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati de negocijs Eccleſiaſticis laicorũ iudicio nõ diſponant, inquit, *authoritate ſua*: delegari tamen poſſunt ſaltẽ cauſſæ pecuniariæ, ſiuè huiuſmodi merè ciuiles. Papa verò ciuiles, criminales, & ſpirituales cauſſas poteſt laico delegare arg. 32. diſt. cap. præter. §. Verùm, & 2. q. 5. cap. Mennam, & 63. diſt. in Synodo, & ca. Adrianus, & 10. q. 3. Illud.

Ex his, quę in pręſenti diſputatione habita ſunt exploratum eſſe arbitror, quàm aberrarit à verò Theologiæ Doctor Ignotus, dum in quintæ propoſitionis partic. prima huiuſmodi verba tàm liberè effutiuit, *Quod Perſona, ac bona Eccleſiaſtica à laici Principis poteſtate exempta ſint; etſi nonnulli, neſcio quo fundamento, Iuris diuini eſſe exiſtiment, opinio tamen oppoſita, quod ſcilicet, tantùm humani, melior eſt, ac diuinis literis, ſanctis Patribus, & hiſtorijs magis conſentiens.*

Prætermiſi aliqua, quæ ipſe in eius propoſitionis probationem induxit, vel quòd ad rem non faciunt, vel quòd eorum falſitas nulla poteſt tergiuerſatione cælari.

AN

AN, SI CLERICORVM Immunitas diuini Iuris non ſit, potuerit Summus Pontifex eis hoc priuilegium irrogare.

DISPVTATIO QVINTA.

HACTENVS expenſum fuit circa quę verſetur Clericorum exemptio, & quo iure fuerit introducta. Reliquũ modo eſt, vt duo à nobis examinentur. Vnũ, an Summus Pontifex à laicorum Principum legibus, & poteſtate eccleſiaſticos viros immunes efficere potuit; dato, eorum exemptionem Iure diuino conſtitutam non eſſe: Alterum, an quicunque laicus Princeps, etiam ſummus, quoquo modo poſſit libertati eccleſiaſticæ derogare.

Huius diſquiſitionis cauſſa eſt: quia cum ſint, qui opinentur Clericorum Immunitatem tantùm humano iure inductam fuiſſe (vt in ſuperiori diſputatione oſtendimus) neceſſariò perpendamus oportet, An fuerit in Summo Pontifice eam concedendi facultas: &, an laici Principes quicquam de ipſa detrahere valeant. His .q. explicatis, priuilegium eccleſiaſticæ libertatis contra eius oppugnatores ſic (vt reor) communietur, vt eorum telis aliqua ex parte inuadi non poſſit.

Quod attinet ad priorem difficultatem in præſenti Diſputatione elucidandam duo animaduerto.

Vnum. Priuilegia eſſe priuatorum leges, quaſi priuatas ex Iſidor. etym. lib. 5. cap. 18. & Diſt. 3. cap. Priuilegia, & 25. q. 1. cap. final. Priuilegia namque (ait) dicuntur tanquam priuata legia: eò quod priuatã le-

gem

gem ſingulis generent; qua, ſcilicet aliqui eximũtur à iure communi, ſiuè ſit Collegium, ſiuè priuata perſona, ità Gloſſ. ad eamd. diſt.

Hanc Priuilegij ſignificationem innuit Gregorius ſcribens ad Ioa. Epiſcopũ Rauennatẽ lib. 2. epiſt. 54. & refertur diſt. 100. ca. Contra morem. Quod ſi hoc non oſtenditur, reſtat, poſtquàm talia agere neq; conſuetudine generali, neq; priuilegio vendicas; vt vſurpaſſe te comprobes, quod feciſti. Epiſt. decr. to. 2.

Alterum eſt. Priuilegiorum conceſſionem ob tres præcipuas cauſſas in Eccleſiam inductam fuiſſe.

Prima fuit humanorum actuum variatio: etenim cum homines vel in melius, vel in deterius ſæpè mutentur, conſentaneum eſt; vt illis vel priuilegia itrogentur, vel ſubtrahantur. Hanc rem explicat D. Auguſtinus 1. de libero arbitrio exemplo populi, cui, ſi amator ſit publicæ vtilitatis, poteſt priuata lege concedi vt ei liceat Magiſtratus creare: quod ſi poſt aliquod tempus priuilegio abutens Reipubl. commodo parùm, priuatæ verò vtilitati plurimum conſulat; æquum profectò eſt, vt ei derogetur: Nam priuilegiũ meretur amittere, qui permiſſa ſibi poteſtate abutitur; ità Simplician. Papa ad Ioa. Epiſcopum Rauennatem epiſtola 16. & refertur à Gratian. 11. q. 3. cap. priuilegium Simile eſt quod Serm. de Tempore 247. ſcribit idem met Auguſtinus Iudicio legum iurè ab obtenta dignita deijcitur, qui priuilegio ſibi conceſſo abutitur. Opc. to. 7. Decr. epiſt. to. 1. Op. to. 10.

Secunda cauſſa eſt, vt ius commune in memoriam, & vſum reuocetur: quandoquidèm ſi prauæ conſuetudines hominem ita obcæcant, vt contra rationis dictamen, quod eſt ipſa lex naturalis vnicuique à Deo naturaliter indita, multa operetur; poſitiua multò faciliùs poteſt ex obliuione ſic aboleri; vt tamquàm

 igno-

ignorata non obſeruetur; vnde fit, vt quandoq; oporteat ea, quæ communia erant, priuatis legibus renouari.

Tertia fuit nouitas cauſſæ: noua .n. cauſſa accedente noua priuilegia dari conſueuere: hinc eſt, quod aliquando conceduntur ob Chriſtianæ Religionis propagationem; aliquotiens, vt temerarijs hominũ conatibus occurratur; interdùm vt acceptum beneficiũ remuneretur 25.q.1.cap.final. verſ. Valet ergo.

His prænotatis pro difficultatis ſolutione duæ ſtatuuntur Concluſiones.

Prior ſit. Summus Pontifex habet facultatem aliquos à iure communi priuatis legibus eximendi.

Hæc Concluſio eſt Grat. loco citato. Valet Romana Eccleſia ſuis priuilegijs quoslibet munire, & extra generalia decreta quædam ſpeciali beneficio indulgere: Auguſt. de Ancona de eccleſiaſtica poteſtate q. 66. ar.2. & tandem omnium Theologorum, & Canoniſtarum.

Probatur. Summus Pontifex habet poteſtatem condendi leges: ergo etiàm Priuilegia irrogandi.

Conſequentia patet. Antecedens eſt Vrbani Papæ 25.q.1. vbi ait.

Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſse nouas condere leges: quod & non ſolùm non negamus; ſed etiàm valde affirmamus: & 16.cap.final. Sacroſancta Romana Eccleſia habet ius condendi canones, vtpote quę caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum, à cuius regula nemini diſſentire licet.

Prętcrea. Qui eſt ſupra Ius, ac Iuri non alligatur facultatem habet, præter communes, ferre priuatas leges: ſed Pontifex huiuſmodi eſt: ergo, &c.

Minor eſt Grat. ibidem ſub his verbis Romana Eccleſia ius, & authoritatem ſacris canonibus impertitur

tur, ſed non eis alligatur, (& mox) Ita ergò canonibus authoritatem præſtat, vt ſe ipſam nõ ſubijciat eis.

Poſterior Concluſio ſit. Potuit Summus Pontifex, & æquum fuit, vt Perſonas, & bona eccleſiaſtica à laicorum legibus, & poteſtate eximeret.

Huius concluſionis authorem eſſe Innocentium, in c. Si quis de Maior. & obed. tradit Couarruuias Pract. quæſt. cap. 31. concluſ. 3. quem ſequitur ipſe, & Cardinal. in Repert. ca. perpendimus de ſent. excom. opp. 7. Aufrerius in Clement. 1. de offic. ordina. verſ. ad quæſtionem Nauar. c. Nouit de Iudic. notab. 6. nu. 29. Anaſtaſius Germonius de Sacrorum Immunitat. lib. 3. ca. 15. num. 37. & tandem Canoniſtæ communiter vt aſſeuerat Couarru. loco citato; cui aſtipulantur Theologi omnes, præſertim Soto in 4. ſent. diſt. 20. q. 2. ar. 2. concluſ. 6. Franciſcus Victoria de poteſtate Eccleſiæ Relect. 1. q. 6. propoſ. 5. Bannes 2. 2. q. 67. ar. 1. cõcl. 3.

Quod potuerit; prçter adductas rationes in ſuperiori concluſione, ità probatur. Pontifex habet omnimodam poteſtatem in ordine ad finem ſupernaturalem; ergo, & in ordine ad media conuenientia ad huiuſmodi finem: At exemptio Clericorum à laica poteſtate ad eundem ſcopum refertur; illa igitur pertinet ad Summi Pontificis facultatem.

Minor probatur, quia bono ſpirituali totius Eccleſiæ maximè expedit, vt Dei miniſtri in honore atquè exiſtimatione ſint apud laicos: at ſi ipſi ad laicorũ iudicia traherentur, atq; à Reipublicæ oneribus nõ eſſent immunes, profectò, & ipſi, & ſacræ res paulatim inciperẽt deſpicatui duci: Clericorum ergo immunitas ad eundem finem dirigitur.

Præterea poteſt Summus Pontifex propria authoritate eligere miniſtros eccleſiaſticos, etiã in inconſultis laicis Principibus, eiſquè contradicentibus; ergo

eadem ratione valet eos à ciuili poteſtate ità ſubtrahere, vt perſonæ, & facultates à quibuſuis oneribus eximantur.

Inſuper. Poteſtas Eccleſiaſtica eſt perfecta, & à ciuili nulla ratione depēdens (vt in probationibus prioris concluſionis Diſputationis primæ oſtenſum eſt) ergo poteſt Summus Pontifex per ſe condere leges, quæ ſuæ adminiſtrationi ſunt, vel neceſſariæ, vel congruentes: Atqui exemptio Clericorum eſt ſaltē congruens recto regimini Reipublicæ eccleſiaſticæ, ergo potuit illos eximere à poteſtate ciuili.

Quod verò plurimùm expediat, vt Dei miniſtri, tùm quò ad perſonas, tùm quò ad facultates à communibus ciuilis Reipublicæ oneribus, & poteſtate ſoluantur, rationes primarum conclusionum ſecundæ, ac tertiæ diſputationis ſatis arbitror indicaſſe.

†

AN, SI CLERICORVM *exemptio ſolùm fuerit Iure Pontificio, & Cæſareo introducta, laicus Princeps quantumcumq; ſummus ei poſſit contrarijs legibus derogare.*

DISPVTATIO SEXTA.

Ex duabus vltimis difficultatibus vnam in ſuperiori diſputatione abſoluimus: ſupereſt nunc, vt in præſenti alteram aggrediamur.

Pro cuius explicatione ſit prima Concluſio. Princeps laicus quamuis dignitatis, ac poteſtatis ſupremæ Clericorum immunitatem reuocare, aut ei quicquam detrahere non poteſt: ità Canoniſtæ ad cap. Nouit de Iudic. ad cap. Nouerit de ſent. excom. ad cap. Eccl. Sanctæ Mariæ de conſt. ad cap. final. de rebus Eccleſ. non alien. Didacus Couar. Pract. quęſt. cap. 31. concl. 4. Anaſt. Germo. de ſacrorum Immunit. lib. 3. cap. 15. num. 39. ex Theologis ſpeciatim Soto in 4. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 2. concl. 6. Franc. Victoria de poteſt. Eccleſ. relect. 1. q. 6. prop. 7. Card. Bellar. de Clericis lib. cap. 28. in fine.

Probatur. Ea quæ ob publicam eccleſiaſticæ vniuerſitatis vtilitatem à Sũmo Pontifice cõſtituta ſunt, non poſſunt à quouis Principe reuocari; ſed Clericorum exemptio propter hanc cauſſam eſt introducta, vt patet; ergo à quouis Principe reuocari non poteſt.

Maior ſuadetur, eò quod cum laici Principes ſint in ſpiritualibus, & eccleſiaſticis Summo Pontifici inferiores, ipſe enim eſt ſummum Eccleſiæ caput Chriſti vicem in terris gerens; vt profitētur catholici omnes, ſpe-

ſpeciatim Irenęus lib. 3. aduerſus Hæreſes ca. 3. Ciryl.
Oper. to. 2. Alex. in lib. Theſauri. Ioan. Chryſ. in Matt. cap. 16. ho-
Oper. to. 2. mil. 55. Theophyl. in Lucam ca. 22. Cypria. epiſt. 1. ad
Ope. to. 1. Cornelium Papam. Hierony. ad Damaſum. Ambr. de
Epi. to. 3. exceſſu fratris ſui cap. 7. Auguſt. epi. 162. ad Glorium,
Ope. to 2. & Eleuſium. Greg. 1. epiſt. lib. 4. epiſt. 32. Anacletus
Epiſt. Decr. to 2. epiſt. 1. ad Epiſcopos, & cæteros fideles. Pius 1. epiſt.
Epiſt. Decr. to. 1. 1. ad omnes Eccleſias. Victor 1. epiſt. 1. ad Theophylū
Ibidem. Zephyrinus in epi. ad Epiſcopos Siculos, & Melchia-
Ibidem. des ad Hiſpaniarum Epiſcopos: cui dictum eſt à Chri
Ibidem. ſto Domino *Paſce oues meas*: atque ei non deſit leges
Ibidem. ſtatuendi facultas, vt ex ſuperiori diſputatione colli-
Io. 21. gitur; ſequitur profectò, vt iura, quę condit in eccle-
ſiaſticæ Reipubl. vtilitatem, non poſſint ab vllo Prin-
cipe abrogari.

Deinde. Summus Pontifex habet potentiam exi-
mendi Eccleſiarum miniſtros à Principum ſubiectio-
ne abſque ipſorum authoritate, cū ea libertas rerum
eccleſiaſticarū adminiſtrationi expediat, in qua nullū
hominum agnoſcit æqualem, nedùm maiorem: er-
go ab ipſis impediri non poteſt, quominùs debitum
ſortiatur effectum.

Conſequtio probatur, quia cum talis poteſtas in
Summo Pontifice non ſit fruſtrà, ſed eiuſmodi, vt poſ
ſit exire ad actum: neceſſe eſt, vt in Principibus tem-
porarijs nulla ſit ei obſtandi facultas.

Preterea cū tota Chriſtiana Reſpublica, & ipſimet
Principes in eccleſiaſtica libertate vnà conſenſerint
obedientiæ non poteſtatis aſſenſu: conſequens eſt; vt
ab ijs reuocari nō poſſit: ita Canoniſtæ ex Innoc. con-
ſtit. de Iudicijs cap. Nouit tit. 11.

Poſtremò quis non videt, hanc derogationē in ma-
ximam eccleſiaſticæ libertatis diminutionem redun-
dare?

Ex

Ex quo à laico Principe diſſolui non poſſe ij dè colligunt ad cap. Nouerit de ſent. excom. ad cap. Eccleſia S. Mariç de cõſtit. ad cap. final. de rebus eccl. nõ alien. ſic aduertunt Couarruuias, & Germonius loco citato.

Hinc appoſitè Anacletus Pontifex epi. 1. ad omnes Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes: Priuilegia (inquit) Eccleſiarum, & Sacerdotum intemerata, & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus.

Epiſt. Decret. to. 1. 25. q. 2. ca. Priuilegia ſ.

Et Leo Magnus epiſt. 54. ad Martianum Auguſtũ: Priuilegia Eccleſiarum Sanctorũ Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicenæ Synodi fixa decretis nulla poſsunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.

Vide eius epiſ. decre. quæ editæ sũt Antuerpiæ apud Ph. l. Nutium. Nõ in to. 1. ep. decret. ep. 54. non eſt directa ad Martianũ. 25. q. 2. cap. Priuilegia iij.

Secunda Concluſio. Laicorum Principum leges, quæ derogant eccleſiaſticæ immunitati iniquæ ſunt, & non ſeruandæ.

Probatur. Lex omnis, quç eſt contra canonicas ſanctiones iniqua eſt, & indigna, cui obtemperetur. Sed quæ immunitati eccleſiaſticç derogant, ſaltèm canonicis ſanctionibus aduerſantur, vt patet ex his, quæ in ſuperioribus Diſputationibus ex Concilijs, & Decretis Summorũ Pontificum allata fuere: ergo ſunt iniquæ, & non ſeruandæ.

Quod huiuſmodi leges iniquæ ſint idem Leo epiſtola 53. ad Anatolium his verbis luculẽter expreſſit. Nimis hæc improba, nimis ſunt praua, quæ ſacris canonibus inueniuntur eſſe contraria.

Vide eundẽ lib. epiſt. decret. Nam in to. 1. eſt nu. 56.

Quod non ſeruandç, ità oſtenditur. Leges, quæ hominem reddunt ſacrorum canonum violatorem, & conſequenter in ſpiritum ſanctum blaſphemum, atq; à ſacris altaribus alienum ſeruari minimè debent: atqui ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem hominẽ eiuſmodi faciunt: ergo, &c.

Eos, qui violant ſacros canones, blaſphemare ſpi-

ritum ſanctum, egregiè Damaſus Pontifex (vt refert Grat. 25.q. 1. cap. violatores) his verbis teſtatus eſt. Violatores Canonum volũtarij grauiter à ſanctis Patribus iudicantur; & à ſancto Spiritu, inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt, damnantur; quoniã blaſphemare ſpiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſacros canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter (vt præmiſſum eſt) aliquid aut proteruè agũt, aut loqui præſumũt, aut facere volentibus ſpõtè conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnũ genus eſt blaſphemantium ſpiritum Sãctum; quia (vt iam prelibatum eſt) contra eum agit, cuius nutu, & gratia ſancti canones editi ſunt.

25.q. 1. ca. Hac conſona.

Quod à ſacris altaribus arceantur, Gregorius Pontifex lib. 3. epiſt. 7. ad Ioan. eleganter inſinuat inquiẽs. Hac conſona ſanctis Patribus diffinitione ſancimus, vt, qui ſacris neſcit (Gloſſ. *contemnit*) obedire canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaribus. Hæc ſi expendiſſet Theologus nullius nominis, fortè ſacros Canones haud ità contempſiſſet; vt in ſexta propoſitione dicere auderes *Venetos idcircò non peccare; quia nõ faciunt contra aliquam legem*. Quaſi ſacra Concilia, & Decreta Summorum Pontificum à catholicis iàm pridem recepta, & vſu comprobata leges non ſint, quibus ſub lethiferæ culpę reatu quiſq; fidelis ſubiacet. Conſilium quidem impium, & omninò indignum quod à catholico viro exhibeatur.

Secundò loco eadem Concluſio ſic aſtruitur. Leges, quæ quantùm in ipſis eſt, non reddunt homines bonos, ſed potiùs malos, iniquè ſunt, eiſque obedire non decet: ſed quæ lędunt eccleſiaſticam immunitatem non reddunt homines bonos, ſed frequenter & peſſimos cũ patrocinio huiuſmodi legum temerè au-

deant

deant mittere falcem in alienam meſſem, ac ſacra miſcere profanis, vt liquet ex ſupradictis: ergo.

Veritas maioris propoſitionis pendet ex fine ipſius legis, qui eſt efficere, quantũ poteſt, vt homines boni, beneque inſtituti reddantur; ità D. Th. 1. 2. q. 92. ar. 1. Medina ibidẽ Soto de Iuſtitia q. 2. ar. 1. D. Anton. par. 1. tit. 11. cap. 2. §. 3. licet non quomodocumque: legis enim diuinæ effectus eſt, vt homines boni ea bonitate efficiantur, quæ proximè dirigit in vitam æternam Matthęi 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*: ciuilis autèm vt ciues boni fiant bonitate politica, & tranquillè ac fęliciter viuant; cõdita enim eſt propter hominum vtilitatem l. nulla. ff. de legibus: quę quidẽ bonitas ex ſui natura non modò priorem nõ deſtruit, ſed potiùs ad ipſam vt ad præſtantiorem ſubordinatur. Etenim ſicuti lex moralis non aduerſatur diuinæ, ſed refertur ad ipſam, ita earumdem effectus eodem modo ſe habent.

Quod verò diuinę non opponatur, ex eo colligitur; quia cum lex ſit omne quod ratione conſtiterit, religioni congruat, & diſciplinæ conueniat ex Iſid. Etymolog. lib. 5. cap. 3. & D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 3. conſtat eam conſentaneam eſſe debere legi diuinæ.

Pręterea lex debet eſſe iuſta diſ. 4. c. Erit autẽ ex Iſidoro loco citato c. 21. & D. Tho. ibidem; & Michaele Salon in 2. 2. q. 5. de Dominio a. 5. An liceat teſtatoribus. & niſi iuſta eſſet, non diceretur lex; ergo leges politicę diuinæ opponi non debent, cum diuina lex ea ſit, à qua omnis æquitas, & rectitudo emanat; omniſq; lex proficiſcatur à recta ratione, quæ nihil eſt aliud quam impreſſio diuini numinis. Quæ igitur humanæ leges ad eam non referuntur, eiq; aliqua ratione non congruunt, tamquàm nomine legis indignæ ſunt penitus abolendæ.

Vnde ſanxit Fælix Pontifex eas prorſus irritas eſſe his verbis. Conſtitutiones contra Canones, & decreta Præſulū Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti; quæ enim contra ius fiunt pro infectis haberi debent. de Reg. Iur. in 6.

D ſt. x. ca. Conſtitutiones.

Nec ſolùm iniquas leges futiles eſſe, & non ſeruandas, atq; grauiter peccare, qui eas ferunt, ſcribunt, in vſum adhibendas curant, iudicant iuxta illas, obſeruant, ijs conſentiunt, aut ſi poſſint non derogant; ſed etiam earum latores omnes reſarcire teneri damna, quæ ratione huiuſmodi legum alij contraxere, aſſerunt Angelus verb. lex §. vlti. Gabriel Biel in 4. ſent. diſt. 15. q. 6. dub. 4. propoſitione 2.

Hinc eſt, quod Imperatores Valentinian. & Martianus non ſolùm Eccleſiarum immunitates confirmauerūt, ſed etiam contrarijs legibus, hac lege derogauere. Priuilegia, inquiūt, quæ generalibus cōſtitutionibus vniuerſis ſacroſāctis Eccleſijs orthodoxę Religionis retrò Principes præſtiterunt firma, & illibata in perpetuū decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quę contra canones eccleſiaſticos interuentu gratiæ, vel ambitionis elicitę ſunt, robore ſuo, & firmitate vacuatas, ceſſare præcipimus.

C. de ſacroſanctis Eccleſ.

Imperator quoque Baſilius Iunior hoc idem ſapienter effecit: etenim cum Nicephorus Phoca prohibuiſſet, ne Monaſteriorum latifundia ampliarentur, neuę Monaſteria, & eiuſmodi loca pia conſtruerentur: Baſilius hanc legem alia ſanctione abrogauit, quam etiam Balſamon in Nomocanone Phocij refert his verbis.

Nouell. 2.

Diuinitùs conſtituta Maieſtas noſtra, cum, & à Monachis, quorum teſtata pietas, atque virtus eſt, & ab alijs multis cognouerit legem à Domino Nicephoro, qui ad Imperium peruenit de Eccleſijs Dei reli-

Nouell. 1.

gioſiſq; domibus latam , eum præſentium malorum, eum vniuerſalis huius euerſionis, atq; cõfuſionis cauſſam, & radicem extitiſſe veluti non ad iniuriam, contumeliamq; duntaxat eccleſiarum , & religioſarũ domuum , ſed ipſius quoque Dei conditam; adeoquè re ipſa de hoc facta ſit certior (nam ex quo lex iſta robur habeat, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem vitæ noſtræ contigit, ſed potiùs contrariò nullũ omninò genus, calamitatis intermiſit) ſtatuit per aureã hanc Bullam , cui ſubſcripſit , indicatam ab hoc præſenti die, ceſſare debere, ac deinceps irritam; nulliuſq; momenti manere; conditis ante illam legibus, tàm de Eccleſijs, quàm religioſis domibus vim; roburq; ſuũ obtinentibus. Hanc Baſilij cõſtitutionem tranſcripſi, vt ij, qui ſunt à conſilijs Principum diligenter expendant quid efficiant leges , quæ officiunt eccleſiaſticæ libertati , atq; Principis ſapientis quod munus ſit circa huiuſmodi ſanctiones.

PERORATIO.

QVAMOBREM ſi catholici Principes cædem, euerſionem, incendia, & alias grauiſſimas calamitates à ſuis Regnis arcere deſiderant; pios imitentur Imperatores , ac nihil contra Eccleſiaſticã libertatem cõſtituant memores cominationis illius; Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiã ſcripſerunt : quod ſi quicquam ſancitum fuerit, prorſus abradant; ipſos enim Imperatores Reges, Reſpubl. Principes, & omnes cuiuſcumq; ſtatus , & conditionis extiterint, quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctiùs, quę eccleſiaſtici iuris ſunt, tamquàm Dei præcipua, eiuſquè patrocinio tecta venerari , ac tueri oportet. Deinde Iſai. 10. Cõc. Trid. ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 19.

meminerint ſibi numquàm ab Apoſtolicæ Eccleſiæ decretis recedendũ eſſe, vt falſis mendacium Doctorum aſſertionibus aures,&animum præbeant: monẽte nimirùm Apoſtolo, ne doctrinis varijs, & peregrinis abducamur; at depoſitum fideliter cuſtodiamus, & Euangeliſta Ioanne, vt quod audiuimus ab initio, in nobis permaneat. Verùm hinc origo malorum omnium; cum ij, qui cæteris honore, ac poteſtate excellunt, nõ ex eo, qui ſummus in Eccleſia conſtitutus eſt Paſtor, & Doctor, veritatem requirunt, ſed aliundè mendacium petunt, ex illis ſcilicet, quibus nihil antiquius eſt, quàm quod ad voluntatem loquantur, nihil ad veritatem. Hinc queritur Hieremias. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pænitentiam prouocarent, viderunt autèm tibi aſſumptiones falſas, & deiectiones.

Ad Hebræ. capit. 13. 1. ad Tim. cap 6. 1. Ioa. c. 2. Thre. ca. 2.

Quodſi Eccleſiaſticæ immunitatis oppugnatores, qui Doctores ſe prædicãt, dũ veræ doctrinæ, ac ſapientiæ ignaros ſe produnt, temerarias, falſaſquè opiniones ſacræ Scripturæ authoritatibus paſſim cõmuniunt, vel (vt cum Diuo Ambroſio rectiùs loquar) per verba legis legem impugnant, vbi proprium ſenſum verbis aſtruunt legis, vt ſuæ mentis prauitatem legis authoritate commendẽt; non idcircò quiſquã ad credendum, quod iactant, moueri debet; truculentus enim humani generis hoſtis, qui tamquàm Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, ijſdem nunc artibus vtitur, quibus ab initio ſemper vſus eſt; facilè namquè intelligit, ſi aperto Marte cõgrediatur, nefarios eius conatus comprimi ſtatim poſſe; quarẽ longè alia forma ſpectandũ ſe præbet quàm, quæ ipſi propria eſt, transfigurans ſe in Angelum lucis, ac mala, quæ in publicam perniciem ſedulus parat, ſpecie honeſtatis, ac diuinarum legum patrocinij callidè tegens,

In ca. 3. ad Titum. Ope. to. 3. 1. Petr. c. 5. Cor. ca. 10.

gens, ne occultę fraudes facili negocio depręhendantur. Hac ſimulatione primos patres decepit, dolo eôdem Redemptorem noſtrum aggreſſus eſt; iiſdem inſidijs tot millia hominum in Germania ſuperiori ſæculo euicit; dum Lutherus, Oecolampadius, Zuinglius, alijque eius ſatellites ſacræ Scripturæ authoritatem ſuis erroribus pretexẽtes, credulos, & incautos his fallacijs irretierunt. Gene. ca. 3. Matth. 4.

Neque verò etſi iuris ſtatus zelum oſtentent, vt temporales Principes beneuolos ſibi efficiant, doctrinam venditent, vt illiteratos decipiant, eorum conſilijs aſſentiri oportet; etenim qui ſpecie defenſionis iurium mundanorum Principum eccleſiaſticam Libertatem impugnant, Summos Pontifices arguunt, eorum cenſuras æquiſſimo iudicio latas promulgare audent irritas, & non ſeruandas, libellos propoſitionibus ſcandaloſis, temerarijs, & erroneis paſſim aſperſos contra Concilij Tridentini ſtatuta peruulgant, proh Deum immortalem, quid aliud indicant, quàm, ſiquis eſt zelus (vt dicunt) zelum eſſe amarum, ſi qua doctrina, (vt gloriantur) doctrinam eſſe contentionem, quæ animos irritat, diſcordiam parit, odium excitat, crudele denique, ac luctuoſum minatur exitium? Vbi autem contentio, ac zelus huiuſmodi ſunt, ibi ſapientiam, quæ pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non reperiri, docet Diuus Iacobus, & ſiqua extitit, non eſt (inquit) iſta ſapientia deſurſum deſcendens: ſed terrena, animalis, diabolica: vbi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Hic zelus caute, ne vos nomine fallat; hanc doctrinam fugite, vt peſtem, à veſtris ditionibus arcete, vt hoſtem; ijs enim qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, Conc. 10. 4 ſeſſ. 4. Iaco. ca. 3. Rom. c. 12.

iram,

iram, indignationem, tribulationem, & anguſtiam Diuus Paulus comminatur.

Ad Ro. c. 2. Ad Rom. cap. 12. O vtinam deſenſores illi nimiùm litigioſi, ad rixā conciti, qui dum ſe ſolos exiſtimant ſapientes, ſtulti facti ſunt; non plus ſapere gloriarentur, quàm ad ſobrietatem ſcire oporteat; ſed idem cum Eccleſia ſapere vellent, eandem charitatem haberent, vnanimes

Ad Philip. cap. 2. id ipſum ſentirent, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli cõſiderantes ſed aliorum; profectò hæc ſcandala, cū oriūtur, non adoleſcerent, & iurgia, turbę, ac ſeditiones, cum excitantur, facilè ſedarentur. Sed tantùm valet

Epiſt. 60. Oper. to. 2. Iſa. cap. 14. Gen. ca. 3. inanis gloriæ cupiditas, contentionū parens, vt Auguſtinus inquit, quæ Angelum pulchriorem è cælo deiecit, & primos homines è paradiſo deliciarum miſerè deturbauit, nec non turpis lucri libido, qua vnanimitati retinendæ, & veritati indagandæ nihil magis eſt noxium; vt ſemel his circumuentus nō facilè ſe expediat, & dum harum rerum vmbras omnes conſectatur, nihil eſt, quod nō audeat; nullum flagitium, quod non committat; nullum ſcelus quod non concipiat, etiàm ſi in publicam vergat ignominiam, & detrimentum. Execrabile hominum genus, qui dummodo opinionem, quam de ſe malis artibus concitarunt, ſuſtineant; exiſtimationem, quā apud volgus adepti ſunt, tueantur, Principum gratiam aucupentur, & dignitates quouis modo extorqueant, neq; eorum ſplēdori, nec propriæ ſaluti, nec Chriſti ſponſæ Eccleſiæ, ipſiuſquè in terris Vicario parcunt. ſi ſi principem virum quacumque de cauſſa viderint in eccleſiaſticum ordinem parùm benè affectum laudāt; ſiquid eorumdem iuri clàm ſubtrahētem approbant; ſi leges eius libertati contrarias ſancientem, excuſant,

defendunt, ſi tandèm à catholicæ eccleſiæ communione ſeiunctum, & ſub poteſtate Diaboli conſtitutũ, non ſolùm commiſſi ſceleris non pudet, erroremque ſuum corrigunt pænitendo; at expulſum, damnatum mancipia dæmonis obſtinatè ſectantur. O' verè miſeros homines, qui tã graui morbo correpti ſunt; miſeriores, qui eos à ſe non repellunt, cum poſſunt, ſed protegũt; miſerrimos, qui Regna, & animas ijs commendare, & concredere non verentur. Quid enim reliquũ eſt, niſi vt illa ruant, hę verò in ignem perpetuò cruciandæ præcipitentur? Faxit Deus, vt à Chriſtiana Republica mala hæc acerbiſſima hoc ſęculo arceantur.

†

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE